Dr. Thomas Burnet

Dr. Tullie Justif. PAULINA.

Juſtificatio PAULINA
SINE
OPERIBVS
EX MENTE
ECCLESIÆ ANGLICANÆ,

Omniumque Reliquarum
Quæ REFORMATÆ audiunt,
Aſſertà & Illuſtrata.

Contra nuperos NOVATORES.

Acceſſit Diſſertatiuncula de ſenſu PAULI,
Rom. 7. à Comm. 14.

Authore THO. TULLIO, S. T. P.
Et Aulæ S. EDMUNDI OXON. Principali.

Rom. 11.6 *SI EX GRATIA, NON AMPLIUS EX OPERIBUS.*
Prov. 23. 23. *Eme VERITATEM, ſed ne VENDE eam.*

OXONIÆ,
Typis *HEN. HALL*, Acad. Typog. Impenſis
FRAN. OXLAD. Sen. Anno 1674.
Permiſſu Superiorum.

REVERENDO

ADMODUM IN CHRISTO PATRI

DOCTISSIMOQUE PRÆSULI, ac D.D.

GEORGIO

EPISCOPO

VINTONIENSI,

DOMINO SUO

OMNI OBSERVANTIA

PERPETUUM COLENDO.

Reverende Præsul,

QUOD Herculi Colubros fecisse narrant Fabulæ, id Evangelio accidisse nemo quisquam Paternitate Tuâ perspectius habet, ut nimirum à Serpente Isto, Fraudum ca Errorum omnium Patre & Architecto, *à primis jam inde* incunabulis *impeteretur. Quin & hoc Illi plus minusve subeundum est ad finem usque mundi certamen; idque*

non

non ab externis modò & apertis *Hoſtibus, ſed, quod maximè dolendum, ab Ipſis ſæpe* Domeſticis, *adeoque magnam Ei præ cæteris* Obſervantiam *præferentibus. Imo ea vis Erroris, ut Bonos interdum, ſed minus aut attentos aut peritos (viſco ſuo illitos) ſuis affigat partibus. Cujus quidem periculi præmonitos haud eſſe Fideles noluit Chriſtus, noluerunt ejus Apoſtoli, ne ad Eccleſiæ luctas & certamina, (ut rem quaſi novam) ξενιζόμεθα experti, aut territi diſcrimine Stationem deſeramus.*

Nec *aliunde, puto, quod ad* Fidem *attinet* (quæ * ſemel tradita Sanctis) *facilius hoc deprehenditur, quam circa VIAM ipſam, qua primum ad Chriſtum itur, quaque per Chriſtum ad uſque GLORIÆ cæleſtis metam promovetur.* Hac *certè perperam intellectâ, quid aliud, quam inter* puteos & præcipitia *Cæci deferimur?*

* Judæ 3.

Eoque

eoque multo majori discrimine, quo citatiore Zelo. In aliis sane multis (nec minutissimis *tamen) tutius errari posse, nisi* data forsan errori opera, *nihil dubitamus.*

Bina autem omnino hic esse devia nosti optimè Præsul doctissime: Unum eorum qui Fidei suæ Phantasticæ nulla vitæ Sanctimonia *probatæ totum Salutis & Justitiæ, (ad tremendum quoq; Tribunal Dei) detulerunt; Veri* SOLIFIDIANI, *qui ipsis etiam Apostolorum temporibus sub umbrâ* Ementi*tæ Fidei securè pandiculantes, ad omne flagitiorum genus projecti infamem decoxere vitam. His, unde primulum emersere, Simonis Illius Magi Schola, Equus fuisse Trojanus ab Antiquis perhibetur. Multis autem Illi nominibus & Familiis postea discreti, in unum generale* GNOSTICORUM *nomen & voraginem absorpti vide-*

antur. Contra Hos Ecclesiæ primævæ Heroes ad Arma ire, deque Illis triumphatum est.

Post autem, in deterius semper ruente seculo, En Istorum ANTIPODAS, *qui neglectâ* sterili, *uti somniabant, Fidei Justificæ Doctrinâ, toti Opusculis suis (ad* pietatem *fere nihil, ad* saginam *vero Cleri permultum spectantibus) insudare maluerunt; qui tamen à Suis (eo nomine) omni pæne ævo atrociter meritòque vapulant.*

Tandem vero in Ecclesiæ subsidium ex insperato *prodeunte bono numine, emersit iterum Veritas Evangelii, quâ quod* suum *erat tum Fidei tum Operibus* postliminiò *redditum,* Omnia *GRATIÆ.*

Nil horum Paternitati Tuæ ignotum aut loquor, aut loqui possum. Non Te fugit, doctissime Præsul, unde primum *istud Vulnus (fatalem internecionis Suæ* prodromum)

acceperit

acceperit Papiſmus, *ex ea nimirum ipſa quam in hoc Opuſculo (pro tenuitate noſtra) tuendam ſuſcepimus* Juſtificationis *doctrinâ, ab* Operariorum *Romanenſium inquinamentis repurgata; dum* Leonis 10^mi^ *turpiſſimis Indulgentiarum nundinationibus expergefactus* Lutherus (*æternæ* Heros incomparabilis *memoriæ*) *anſam inde felicem arripit totam Juſtificationis* Evangelicæ *de novo pertexendi telam. Hinc ſtatim una cum* Indulgentiis *horribili quodam fragore corruit univerſa* Papiſmi Turris Babylonica. *Quin &* magnæ *hujus Veritatis efficacia ſuboluit olim ſagaciſſimi viro ingenii, in Deceſſorum Tuorum* Albo *reperti*; Stephanum *intelligo* Vintonienſem; *cui Cathedrâ quidem ſuccedis, ſed omnigena virtute Inſulata multo præcis. Huic in extremis agenti cum Daius Epiſcopus Ciceſtrienſis ad Lectum forte adſtans, de* Pro-

 miſ-

Fox. *Act. & Monument. vol.3. fol. 527.*

missionibus *Divinis*, & gratuitâ per Fidem *Justificatione varia in solamen porrigeret, cum ita intercepisse fertur:* Quid, mi Domine, an id agis, ut istam nunc aperias fenestram? tum de Re nostra simul conclamatum sentio. Mihi quidem & mecum similiter ad mortis limen trepidantibus suavem cani hanc cantilenam nil vetat: quod si illam aperias fenestram, actum simul de omnibus. *Qua autem exinde sollicitudine, quo* zelo *Sacrum hujus Doctrinæ depositum asservarint* Ecclesiæ Reformatæ, *ejusque Cl. Doctores*, *ex publicis* Confessionibus, *Et scriptis evulgatis abunde liquet. Certe (quod novit optime Paternitas Tua) ab Ecclesia nulla in Charis habitum magis*, *quam* Anglicanâ *nostra*, *quæ mentem suam eò defixissimam (extra omnem dubitationis aleam) in Articulis & Homiliis tam sollicitè*

expri-

exprimendam curavit. Quis hinc Lites apud nos exoriri posse crediderit? quibus quàm vellem ego Timanthis velum obtendere, mecumque potius in Conclavi privatim ingemiscere, quam publicè, omnibus (proh dolor!) notissimas, & ab Hoste derisas, exponere! At quod objurganti Eliabo fratri, cum in aciem *venerat, respondit mitissimus David, idem (cum omni tamen animi demissione) respondendum mihi habeo,* 1 Sam. 17.
NONNE *CAUSA* EST?

Ut autem honoratissimo nomini Tuo, Præsul optime, doctissimeque, Schedas hasce meas inscriberem, multa facile hortabantur. Ne *memorem, qua me primum Amplitudini Tuæ, (ni forsan de nomine) prorsus ignotum obruisti, humanitatem, atque etiamnum (quæ Tua bonitas est) ornare pergis; quamque Doctrinam, Pietatem, Prudentiam,*

reli-

reliquumque Virtutum Tuarum illustrem Globum nemo magis suspiciat, Hoc unum in causam suffecerit, quod eas non modo perlegere sustinueris, sed album quoque illis calculum animi Tui candore *coloratum, adjicere gravatus haud fueris.* Nonnulla *fateor (ut res ab eo tempore ferebat) in Auctarium venere, ut de* Justitiâ Imputatâ, Fidei Justificæ natura, *novisque quibusdam nodis adhibiti de novo cunei; sed in* Contro-*versiæ Substantia immutatum nihil.*

Totum verò præter tres quatuorve schedas postremas, tunc nondum, uti volebam, descriptas, Infulati Ordinis Alteri, viro etiam Doctissimo, offerendum curavi, quod Officii Ratio specialis *exigere videbatur. Is autem, mira quidem Humanitate (sed sibi facili ac* nativa) *datis ad me literis hortabatur, ut Opus quantulumcunque publici Juris facerem.*

Ta-

Talibus armatus Judiciis de Adversis minus laboro.

Verum Tuis, Amplissime Præsul, negociis multo gravioribus, nimium me temporis suffuratum agnosco. Deus Opt. M. Paternitati Tuæ Senectam mitem, beatissimamq; (sed seram adhuc) donet in Cœlis Immortalitatem.

Ita vovet,

Reverende Præsul,

Amplitudinis Tuæ Cultor

Humillimus, Addictissimusque,

THO. TULLIE.

Errata quædam præli graviora.

PRæf. *pag.* 3. *lin. ult. lege*, χρησφύγετα *p.* 25. *lin.* 9. *l.* grammaticalem. *p.* 26. *lin.* 4. *lege*, alvo. *p.* 41. *lin.* 19. *l.* Fevardentius. *p.* 61. *lin. penult. l.* Causâ. *p.* 78. *lin.* 21. *l.* minus. *p.* 94. *lin.* 26. *l.* consequentiæ. *p.* 110. *lin. antepen. l.* verò *p.* 111. *lin.* 6. *l.* Reformatis. *p.* 130. *lin. ult. l.* facies. *p.* 164. *lin.* 18. *l.* Universa & *lin.* 19. obedientia. *p.* 168. *lin.* 17. *l.* beatitudine. *p.* 22. *lin.* 21. *l.* fidei.

PRÆFATIO.

In quâ oſtenditur Controverſiæ gravitas, à λογομαχία immane quantum disjuncta. Clariſſimorum Eccleſiæ Anglicanæ Luminum, Hookeri, & Præſulis Andreæ eâ de Re Judicia. B. Pauli Suffragium. Conſilium Authoris & hortamina in ſuſcepto Opere.

QUANTI ſit iſta momenti Controverſia de Juſtificatione Peccatoris, ſi Prophetarum, ſi Chriſti, ejuſque Apoſtolorum ſilerent oracula, ſi Doctorum, Eccleſiarum (Antiquarum, Recentiorum, Exterarum, omnium, niſi unius Apoſtaticæ Romanæ) aut nulla, aut parca eſſent ſuffragia (quæ paſſim frequentiſſima) altùm clamat in Homiliis Eccleſia Anglicana, idque voce admodum terribili, uti videbitur cap. 3. Ex Doctoribus privatis noſtris bina tantum in præſentia audiantur nomina, (ſed quanta & qualia!) Hookerum intelligo & Andræam Vintonienſem. Illum 1° habemus matri Eccleſiæ Anglicanæ ita accinentem, Diſſert. de

Justif. inter op. fol. edit. 1ª: *Justitia*, inquit, illa *per quam nos Justificamur perfecta est, non autem inhærens*, ita p. 499; & post, *Justitia in quâ nos inveniri oportet, modò justificari velimus* (adverte Lector) *nostra non est, proinde Justificari non possumus per inhærentem ullam qualitatem*, fol. 492. mox iterum, *videtis igitur Ecclesiam Rom. cum docet Justificationem & gratiam inhærentem, pervertere veritatem Christi*, & fol. 498, *Christus in opere salutis humanæ solus est; Ecclesia Rom. filios suos alia cum eo sociare docet, quibus utique fides sua nihil prodest. Verum est istos cum Christo res alias conjungere, sed quomodo? Non in ipsius Redemptionis negocio, quam à Christo plenissimè præstitam pro totius mundi salute confitentur, sed in hujus thesauri inestimabilis* APPLICATIONE; *quo ad eorum salutem efficax reddatur: sed quantacunque verborum composita gravitate agnoscunt salutem se quærere non aliunde nisi per sanguinem Christi, dum sancti scilicet illius sanguinis APPLICANDI mediis cum debita animi humilitate utantur, tot in fide perniciosa ingerunt MEDIA quæ loquuntur describendò, ut ipsius fidei fundamentum inde subruatur, & extinctus jaceat Christi sanguis.* Hæc vir celeberrimus: cui Echum quoque clarissimam reddit ὁ πάνυ Andræas, concion. in *Jer.* 23: 6. ubi per totam hoc unum ferè agit, ut Justificationem humanam omnem ponat in imputatâ per fidem solam Christi obedientiâ, illamque *coram Deo* operum Justitiam, ut animæ exitialem, anathematizet.

Unde

Unde portenti ſimile meritò videatur, quid hominibus etiam *cordatis*, uti ſpero, & *veri* amantibus, nec indoctis qnoque, in mentem venerit, ut in re omnium graviſſimâ tali teſtium nube (qua nec Sol ipſe clarior) circundati, eâ parum obſervatâ in *phantaſmatum* ſuorum tenebras & devia proſilire nihil vereantur. Haud paucos quoque, qui nihil fortaſſe contra definiunt, neſcio quis animi torpor (reſide hoc ſeculo) invaſit, ut omnium nobiliſſimam, maximique ponderis controverſiam, pro inutili habeant λογομαχία, ſicque cavent, ne ſuaves illis unquam abrumpat ſomnos. Quod ſive tædio *explorandæ* ad *fundum* veritatis abſterriti faciant, ceu ad *ſecundum* fluminis remigium, uti ſolet, nimis attenti, ceu forſan *pilis*, ut aiunt, in diſputatione findendis minus aſſueti, ceu demum aliunde perſuaſi, optandum profectò eſt ut ſuis ſaltem Ipſorum animabus diligentius excubarent, neque veritatis Divinæ *magnalia* pro nihilo haberent.

Alia quidem D. Paulo mens erat, cum Juſtificationis (quâ de agimus) doctrinam male intellectam *lapidem* fuiſſe iſtum *offenſionis* & *petram Scandali* haud ſemel docuerit, ad quam confractis oſſibus κακόζηλοι Abrahami ſecundum *carnem* progenies impegerunt, quod utique vitam quærerent inter *operum* ſepulcra, Juſtificationem *non ex lege Fidei, ſed ex OPERIBUS*, *Rom.* 9. 32.

Neque neſcius ſum quæ hic χρυπτύγλα & tegu-

menta plane ficulnea quæruntur à Pontificiis, eorumque æmulis, quò scilicet exempli istius Judaici terrorem à se excutiant, & summâ animi μαλακίᾳ in vertice mali tripudient. Verum ista omnia ad examen suo loco vocabimus.

Interim cum metu & tremore, adeóque intentissima mentis acie in hac lubrica, & plenâ aleæ materiâ versandum reor. Neque enim de *Terminis*, sed de *totâ possessione* in confesso lis est, non de muris, sed de *Palladio* Christiano; ubi vel ex minimâ titubatione, (sicuti per glaciem ambulantibus) maximum oriatur discrimen. Nam quæ, rogo, spes est apud Deum consequendi salutem, si unica ignoratur via? Quis ex *inepto* pharmaco (nedum *veneno*) sanitatem quærit, aut (nisi in Fabula) gemmam ex sterquilinio? Nec melioris quidem notæ (Justificationem quod attinet) sunt vel optima peccatorum opera, quæ tantisper fateor dum intra suos se limites verecundè continent, Deo per sanguinem Filii gratissima non esse nequeunt; ubi verò audaciùs evagantur, & in ipsum Gratiæ thronum insiliunt, nihil illi magis exosum; quod in verbo suo (ne ignorantiam caussemur) auribus nostris ubique insonandum curavit. Certè cum binas omnino Justificandi *coram Deo* vias sacra nobis Pagina indigitat, *Fidei* scilicet atque *Operum*, horumque *adversas* planè frontes ostendit, & *medii* quicquid est temperamenti *toties* & tam *apertè* fastidit, u-

tram.

tram quis ſemitam elegerit non eſt *teſſerarum luſus*, ſed potius *æternæ* ſortis quaſi pignus & ſponſio.

Mihi quidem Ipſi, non cum Perſonis, ſed Rebus, non de *victoria*, ſed *veritate*, propoſitum eſt certamen. Nemini bilem concitare velim, neque ex cujuſquam ſive inimicitiis inclareſcere, ſive (uſitato quidem, ſed parum honeſto) *Paraſitiſmo* ſaginari. Non Hominis ſunt iſta *Veritatis* ſtudioſi, nedum Theologi Chriſtiani. Poſcat, fateor, interdum Veritas Styli *vehementiam*, furorem nunquam.

Imo in arenam (demptis modo cauſæ tam præclaræ ſtimulis) perinvitus deſcendo, gnarus utique quas ſoleant moleſtias ingenio pacis cupidiſſimo etiam *neceſſaria* creare certamina. Cum verò, ut mortalium monuit ſapientiſſimus, ſua ſint & *ſilendi* & *fandi* tempora, poſt fruſtra diu ſperatas ab aliis (quorum me peritiores innumeros fateor) Veritatis Auguſtæ vindicias, calamo temperandum amplius non duxi. Quid enim? an Cræſo ad ſupplicium rapto ſpectanti filio, vocem quam natura negaverat, inſpiravit pietas? Matremque nos *Eccleſiam Anglicanam*, tot talibuſque puerperiis invidendam, tot palmis, quà patet orbis Chriſtianus, illuſtrem, Nos inquam *Filii* talem hanc Matrem, hinc inde impetitam, per *compita*, *præla*, *pulpita*, (nota loquor) traductam, & (quæ ſeculi eſt deflenda licentia) poſt currum quaſi *triumphalem* indignè raptatam cernemus,

& tacebimus? nonne arrepto quaſi veſtimento mæſta nos voce detinere ſatagit, quemadmodum ſuos Chriſtus (ab aliis valere juſſus) Apoſtolos, *num & vos me derelinquetis*? Novit Deus me nullo, quodſciam ipſe, niſi unius veritatis & Conſcientiæ liberandæ intuitu, hoc (aliàs permoleſtum) ſuſcepiſſe penſum. Haud ignoro ſcilicet quali nunc dierum apud multos flagret invidiâ, quam propugnatum eo, Doctrina, quantumvis in S. Scriptura, in Eccleſiæ Anglicanæ Articulis atque Homiliis luculentiſſimè tradita, quantis in eos ſævitur odiis, qui adverſa *novaturiendi* Conſilia, ſtudiaque vel minimùm ſufflaminare manum admoverint, quibus elogiis & nominibus decorentur (quaſi in Religionem tranſierat iſta morum Barbaritas.) Ecquam itaque licet aliam à permultis ſperare mercedem, quam ſannas, odia, contumelias? verbo, ut quod ſint, eſſe pergant?

Joh. 6.

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi. Neque tamen iſti me terrent in viâ Leones; ſcientem utpote terrorem DOMINI, quanti ſit Veritas, quantóque graviora perpeſſus eſt Chriſtus, ut Ei Teſtimonium perhiberet; qui ſuo quoque tempore ſe confitentes, coram Hominibus, confitebitur coram Patre, ſanctíſque ejus Angelis, & diffitentes diffitebitur. Hoc tantùm adverſæ cauſæ Patronos hortor & rogo, ut ſiqui reſponſionem meditentur, id eo fiat animi Candore, ea calami ſobrietate, eâ Pacis Evangelicæ reverentiâ, ut ſi non idem ſalva veritate, incolumi

incolumi ſaltem amicitia diverſum ſentiamus. Fando quidem à viris Fide dignis ſæpius (ante ſeſquiannum, aut ampliùs, accepi,) contra libellum hunc noſtrum (dum adhuc in partu infælicis Horoſcopi fætus hæreret) in muriâ aliquid macerari (quod neque Spiritu Prophetico factum crediderim.) Ut ut fuerit, ſi conclamatum de Pace, Jus tantum Belli poſcimus, ut Hominum & Chriſtianorum more, non Belluarum decertetur. Nil Ipſi mihi, ſed omnia Veritati tribuo. Vincat Illa, quæ nec Amicis eget, nec Hoſtes metuit, de me minimè laboro. Demum, ſicubi, ut fit, à *Docti* & *pii* cujuſpiam Hominis ſententia diſcedere contigerit, id nè quis ægre ferat, oro, obteſtorque: ſed pro ſuâ Charitate invitum, niſi vis ipſa *veritatis* (à me ſaltem ſic agnitæ) impelleret, hoc facere animum inducat. Doctos & pios quoſcunque ſi judicio ſequi non auſim, abſit quin debita proſequar obſervantiâ. Quidquid erit, Ducibus quos ante memoravimus, *tot taliſque notæ*, præeuntibus (quod fælix fauſtumque ſit) intrepidè carpamus iter.

CAP.

CAP. I.

Conjectio, ſive Status Quæſiti.

NE cum larvis luctemur, utque omnis tergiverſandi anſa Sophiſtis præcidatur, operæ pretium erit Statum quæſtionis ab Adverſariis miſerè *turbatum* breviter aperire, prout ab Eccleſiis Reformatis ſimpliciter & diſertè exponitur. De vocabulo Juſtificationis inter Proteſtantes convenire arbitror, quod nimirum in ſenſu *forenſi* ſumatur, ut *abſolvere*, juſtum *habere*, ceu *declarare in foro* notat, quo modo *Sapientia* Juſtificari dicitur *Mat.* 11. 19. Quin & Deus ipſe, *Pſal.* 51. 4. Idem quod Claudiano, *abſolviſſe Deos.* Nec aliter in Scripturis vox unquam uſurpata legitur, quicquid illarum Carnifices Pontificii contra cavillentur. Sed in voce Fidei haud ita convenire fateor, ut ſuo loco pleniùs oſtendetur. Interim dicimus 1°, nullam eſſe Reformatis vel ſecum vel cum aliis controverſiam, an Fides quæ juſtificat ſit res ſterilis, *& infructuoſa*, ceu bonis operibus, uti fert occaſio, nudata: talem quippe Fidem à Juſtificatione procul univerſi abigunt, non obſtantibus impudentium Jeſuitarum, eorumque *palponum*, contra Nos mendaciis.

Neque 2° quæritur an cum Fide Juſtifica reliquarum quoque virtutum *ſemina radicalia*, ceu mavis

mavis *habitus*, ſimul infundantur. Hoc enim utrinque conceditur; ita tamen ex parte noſtra, ut muneri ſuo virtus unaquæque in ſolidum incumbat, non alieno ſe ingerat. Juſtitiæ detur, quæ Juſtificat, Sanctimoniæ, quæ ſanctum faciunt. Viſus & Auditus quoad *habitum*, ſive facultatem, animæ ſenſitivæ ab initio ſimul innaſcuntur; neque tamen aut oculus audit, aut videt auris.

Nec 3° litem movemus ipſi, an bona opera ſint ad ſalutem neceſſaria, *modo* ſcilicet, *loco*, *ordine*, & ex *fundamento* ſibi proprio. Ad extruendum ædificium cujuſvis etiam bajuli neceſſarius eſt uſus, at non qualis Architecti; ancillæ opus in domo, quæ tamen ſi matrem proterva agat familias, cum Hagare foras ejicienda. Operum *Juſtitiam* merito exhorreſcimus, *neceſſitatem* ambabus ulnis amplectimur.

Nec 4° controvertitur, an ſenſu *declarativo* ſua bonis operibus tribuenda ſit Juſtificatio, tum domi ſcilicet, & in *foro conſcientiæ* apud ipſum Juſtificatum, tum foris apud *alios*; Arbor enim *cognoſcitur ex fructibus.*

Hoc itaque eſt τὸ κρινόμενον, ſive ſtatus quæſiti genuinus, (prout ab Eccleſiis Reformatis defenditur) quid nimirum illud ſit, cujus intuitu, vel *propter quod* Hominem peccatorem, Iræ Filium, & legis Maledictioni obnoxium, Deus *in gratiam* recipiat, ab execratione legis *abſolvat*, vitæ demum æternæ *heredem* faciat. Hic

C inquam

inquam figendus est pes, si in hac arenâ cominus dimicare voles, neque (quod solent Adversarii) spectatorum oculis ensis obtusi vibratione è longinquo ludere.

Et quidem *ex parte Dei*, convenire videtur *meritum* hoc esse *Solius Christi* in quo complacuit Pater. Dissidium ex hujus meriti *Applicatione* oritur, nempe quid illud sit quod inestimabilem hunc Thesaurum applicando nostrum facit: *Fidem & opera* cum Pontificiis aiunt Adversarii domestici, nos *Fidem solam*, idque non ut opus humanum, etsi bonum, sed ut *apprehendens*, *obsignans & applicans* unius Christi Justitiam: non *absolutè*, & in se, sed *relativè*, ut dicunt, ad Christum. Habes, Lector, quâ potui verborum brevitate Statum Quæstionis, quem si in nubibus errare nolis, hortor memoria teneas; unde facilè perspicies, quam leves ratiuncularum stipulæ, pro solidis argumentis, ex sacra pagina, pessimè intellecta, ad Justitiam *operum* tuendam coacervatæ, nobis ad nauseam usque porriguntur: cujusmodi sunt (ut ex locis id genus innumeris paucula excerpamus) *Absque Sanctimonia nemo videbit Deum*; *Si vixeritis secundum carnem, moriemini*; *si secundum Spiritum, vivetis*: *Tollite jugum meum, & discite ex me*; *Qui facit Justitiam Justus est*; utque verbo dicam, ubicunque in Scripturis operum bonorum auditur Sonus, vel ut Fidei Justificæ *fructus* indubitati, *Indicesque* sunt certissimi, vel ut *Evangelio digna*, & *præ-*

mio gratuito olim donanda, vel denique ut ad ſalutem ſuo modulo & proportione *neceſſaria*: (quæ quidem ſingula nos animitùs agnoſcere nulli dubitant Adverſarii) mirum eſt quam avidè hæc omnia per cumulos arripiantur à *nuperis* Doctoribus noſtris ad ſuum operum Juſtitiæ *ſacculum* implendum, orbique aperiendum Reformato: Sed quo *judicio*, quo *candore*, quâ *Patrum* ſuorum reverentiâ, quo *pacis* Eccleſiæ ſtudio, utinam ipſi maturè diſpicerent. Sciant interim ejuſmodi extra oleas Saltationibus ſuis, ſe nihil apud nos proficere (quanticunque horum creduli faciant Diſcipuli) cum cauſam noſtram integram prorſus & intactam nobis relinquant.

CAP. II.

PATRUM SENTENTIA.

Judicii singularitas in hac controversia minimè ferenda. Authoris Harmoniæ Apostol. mira de Patribus jactantia. Ecclesia Anglicana pro suâ per fidem solam Justificatione Patres omnes sibi vendicat. Vocabuli Justificationis diversus fere usus apud Patres, in Re nobiscum consentiunt. Augustinus pro Operum Justitiâ incassum à Bellarmino allegatus. Major Salmeronis & Hoffmeisteri verecundia.

QUanquam Fides Christiana divinioris planè sit ingenii, quam ut ex humano sive nutu, sive prudentia pendeat, piam tamen in rebus controversis decebit *sobrietatem*, quid *prisca* senserit, quid *præsens* ætas, priùs dispicere, quam ad Sententiam quasi *decretoriam* procedatur. *Si nescis, egredere per vestigia gregis, & pasce capellas tuas juxta tabernacula Pastorum*, monente in Cantico Solomone. Quæ autem vestigia Gregis, quæ Pastorum tabernacula Justificationem *coram Deo* ex operibus designant? Hui, quam paucissima! nulla ferè, omnino nulla ante tricennium (plus minus) ab Ecclesia Dei agnita, ni ejus familiæ Pontificios & Socinianos accenseas. Certe tum veteris Ecclesiæ, tum præsentium (conspirantibus potissimùm

tiſſimum inter ſe) ſuffragiis contra ire, nimiam ſapere videtur φιλαυτίαν; & Heroum Eccleſiæ petulans faſtidium. Si iſta quidem αὐτογνωμοσύνη in rebus *levioribus* cerneretur, quanquam fortaſſe minimè laudanda, ferenda tamen utcunque eſſet; at *Reformatum* quenquam (præcipue *Theologum*) ab *Eccleſiâ* non *ſuâ* modò, ſed *Eccleſiis quibuſcunque Reformatis* Doctrinæ ſeceſſionem facere, idque in Articulo Fidei, (utriſque conſentientibus) longe *graviſſimo*; objectánque ei *ſingularitatem* cum contemptu quaſi de ſublimi deſpicere (quod *non nemo* facit) ſingularem planè (cogor dicere) faſtum ſapit, & *Suffeniſmum*. Verecundior hac ex parte *Author Harmoniæ*, quam vocat, *Apoſtolicæ*, quod in hac controverſia tot ei pugilibus & Ducibus *veteranis* ex adverſo ſtantibus, arma non faſtidit ſocialia ; imo ſollicitè ambit, ſi quo pacto ſibi demerendi aditus pateret. Sed (quæ ſua eſt infelicitas) nemo in auxilium prodit , & fruſtra ſudat ut reluctantes trahat. Habemus tamen venditantem naves omnes in *Pyræo* ſtantes ſuas eſſe. *Patres pleroſque omnes ante Auguſtinum* pro Juſtitiâ operum ad ipſius caſtra tranſire. Quis ei impoſuit, niſi Scriptor aliquis Pontificius,ignoro.Certe,cum iſta ſcriberet,in lectione Patrum ipſum modicè verſatum conſtat. *Patres pleroſque omnes ?* vox mira ! *at ne unum* prorſus, ne unum inquam, vel *ante*, vel *poſt* Auguſtinum, datâ nobis Eccleſiæ Anglicanæ Fide, uti mox videbitur. Et quanquam fulgentiſſimi illius Ec-

clesiæ Latinæ *Syderis* (quo in hac palæstrà nemo majore *curâ* & *industria*, majori *fide*, *Fortitudine*, *dexteritate*, *successu*, & *gloria* desudavit) etsi inquam illius Authoritas præ illorum omnium suffragiis, si quæ essent, adversis *prærogativum* merito vendicaret, qui *aliud* quasi agentes, & *nullo provocante* securiores, ejusmodi controversias *summis* tantum labris delibarent; nihil tamen à vero longinquius, quam ita sensisse *Patres plerosque omnes ante Augustinum*. Hic non audita vox est Ecclesiæ Anglicanæ. Siquidem Illa (cui Patres non ignoti erant) longe aliud nos docuit, *Homil.* 2. de salute. *Ad hunc*, inquit, *modum per veram solummodò Fidem Justificationem impetrando, loquuntur prisci Scriptores, tum Græci, tum Latini omnes*. Qui quæso *hìc excipiuntur* vel ante vel post *Augustinum*? *Patres plerosque omnes*, inquit Harmonista, i. e. Ecclesia Anglicana Judice, *nullos*. Quin & ante Patrem illum Hipponensem quinque nominatim Homilia in medium sistit, Originem, Cyprianum, Basilium, Ambrosium, Hilarium; quibus etiam accedat Chrysostomus ὁμόχειρος, sed paulo grandior; succedente insuper ab Augustino minimùm quaternione. Patrum certè nullibi consensus major quam in hoc Articulo reperitur, quos post datam ab Ecclesia nostra Fidem apud nostros citare, superfluum & vix satis verecundum videatur. Si quis vero curiositati suæ plura cupit, nostrum adeat Juellum (illud Literarum omnium, in primis Divina-

rum,

rum, juxta ac virtutum Pantheon) Respons. pro Apol. ad Harding. c. 10. fol. 71. op. Latin. edit. Genevæ, 1585, Downhamum Præsulem & Theologum eximium, singulari de Justificatione Tractatu, doctissimum Chamierum, Panstrat. *Tom.* 3. *L.*22. c. 5. aliosque passim. Illud verò dissimulandum non est, & in in Lectione Patrum de Justificatione cum primis notandum, quod licet in hac controversia eandem prorsus nobiscum sententiam apertè millies profiteantur, in Vocabulo tamen Justificationis majori sæpe Libertate uti, quam solemus Ipsi; Hoc enim ad Justitiam nostram Forensem sive Imputatam, & quam libentius (ad vitandam ὁμωνυμίαν) Sanctificationem appellitamus, ex æquo accomodant, ad notationem utique Grammaticam magis respicientes. Hinc nimirum est quod eundem subinde Patrem, Justificationis Humanæ *totùm* omnino (exclusis operibus meritísque nostris) Gratiæ Divinæ, Christíque Justitiæ, per Fidem nostræ, tribuentem audias, neque tamen dicere recusantem, Justificari Hominem per *Charitatem*, *novitatem Vitæ*, & similia; aliud plane nihil intelligentem quam quod malimus Ipsi *Sanctitatis* nomine dignoscere. Specimen unum aut alterum dabimus, quod ex * Augustino nobis exhibet Bellarminus. *Quid est* inquit, *aliud Justitia cum in nobis est, vel quælibet virtus, quâ rectè sapientérque vivitur, quam interioris Homininis pulcritudo?* Quis tam cæcus, ut non perspiciat Augustinum de Justitiâ

* *Epist.* 85. *ad Consentium. De Just.f.* L. 2. c. 8.

tiâ loqui *inhærente*, non quâ *Deo reconciliamur*, (quamque unam Ipsi *Justificantem* nuncupamus) ſed *quâ rectè ſapienterque Vivitur*, i. e. quâ *Sanctitatis* officia coluntur. Idem in *Pſal.* 118. concion. 26. (quem locum minimè puduit Bellarminum pro ſuâ operum Juſtitia *coram Deo* miſerè detorquere,) *Juſtitia*, *inquit*, *virtus eſt animi magna præcipuéque laudabilis*, ergo ſecundum Auguſtinum Juſtificamur ex operibus. Hiccine Goliathus Ille Romanenſis? Et his juncis (quos riderent pueri) tranſverberandi ſumus Reformati? nec quod continuò ſequitur quicquam facit ad eam quam loquimur operum Juſtitiam, ubi dicit venerandus Pater, *Quis fecit in Homine Juſtitiam, niſi qui Juſtificat Impium, hoc eſt, per gratiam ſuam de Impio Pium facit?* Quid enim hinc efficit Cardinalis? concluſionem ſane ſpecie terribilem, vz: *Hìc apertiſſimè dicimur Juſtificari per Juſtitiam quæ ſit virtus inhærens*: cum ita potius inferendum erat, Hìc *apertiſſimè* vocabulum Juſtificationis pro eo quod Sanctificatio apud Paulum & Scriptores modernos dicitur, uſurpat Auguſtinus.

Auguſtin. tom. 3. l. 15. de Trinit. c. 8.

Pergit ex eodem arguere, ubi dicit, *quæ natura* (humanam intelligit) *cum à ſuo Conditore Juſtificatur, à deformi formâ formoſam transfertur in formam.*

Quin 1° nihil impedit quo minus hoc totum de Juſtitiâ propriè Juſtificâ dicatur, quâ miſero Peccatori condonantur peccata; excludi ſaltem neceſſariò debere, nulla omnino cogit ratio.

tio. Quid enim? nonne *Deo reconciliari*, & peccatorum *remissionem* impetrare, ex *deformi formosam* facit? Imo omnis in creaturâ pulcritudinis radix & fundamentum, si Davidi creditur, *Psal.* 32.1.2. *Beatus* inquit, *cui Deus non imputat peccatum*, qui locus eo fine citatur, *Rom.* 4.7.8. In Hoc primariam videmus Hominis felicitatem positam. Ecquis autem beatum *deformem* judicat, aut non formosum? Verùm, ut quod res est fateamur, verisimile est Augustinum eo loci ad Justitiam præcipuè *inhærentem* respexisse, alterâ tamen minimè exclusâ. Hoc præsertim colligo ex locutione [*forma formosa*,] quâ *imaginem Dei* (quæ, ut loquitur Apostolus, in verâ constat *sanctimonia*) indigitat, quáque (aut verbis similibus) ei perquam familiare est Justitiam illam exprimere, quæ *essentialiter* in Deo est, *exemplariter*, & suo *modulo* in Creaturâ; sic enim sæpissimè Ipsam *Dei* Justitiam notat, uti cum *veritatis immutabilis*, *perfectionis*, *sapientiæ*, *Luminis*, *rectitudinis*, formam hic *formosam*, & id genus aliis nominibus distinguit, quam ut diximus, ad Hominem Justum *exemplariter* accommodare solet, uti paullo ante ad finem c.7. *Incorporalem* inquit, *substantiam scio esse sapientiam*, & *lumen esse*, *in quo videntur quæ oculis carnalibus non videntur*: & *tamen vir tantus*, *tamque spiritalis* [Paulus] *videmus nunc*, *inquit*, *per speculum in ænigmate*, & mox, *quale sit* & *quod sit hoc speculum si quæratur*, *profectò illud occurrit*, *quod in Speculo nisi imago non cernitur.*

nitur. *Hoc ergo facere conati sumus, ut per imaginem hanc quod nos sumus videremus* &c. Clarum est *incorporalis illius substantiæ* formam in nobis *formosam* sanctitatem esse, sive *imaginem* Dei. Hìc diutiùs immorari visum, quod ad intelligendum Augustinum in multis haud parum conducat, & qui hac de re plura volet, eruditum adeat Jansenium, in Illius scriptis, si quis alius, versatissimum. Interim hinc níhil accedit Cardinali, nisi hac *forma formosa* non sanctos solum, sed in Foro Dei justos probaverit, quod semper negamus. Verum attende Lector; quam Bellarminus assuat consequentiam; Igitur, inquit, *non manet Homo Justificatus deformis, ut volunt Adversarii.* Quos loquitur Adversarios? solos scilicet *Utopienses*, aut Homines fortasse Lunares. Nam quis, quæso, inter Reformatos ita unquam deliravit, ut diceret aut Hominem Justificatum (quà Justificatum) esse deformem, qui totus (secundum Ipsos) nitet Justitiâ Christi, aut tolli deformitatem *ex parte negaverit* per Gratiam quoque infusam? quæ quidem deformitas paulatim & per *gradus* minuitur *in viâ*, donec à perfectissimâ pulcritudine absorbeatur in *Patriâ*. Quod vero mox subiungit, Justificato *nihil opus esse alienâ Justitiâ, quâ Justitiâ inhærens & propria tegatur*, horrendam sapit arrogantiam. Suâ Ille fruatur Justitia, *mancâ, debili, pannosâ*; multo mallem ego cum Apostolo inveniri *in Christo, non habens meam Ipsius Justitiam*, nisi *tectam*

In suo Augustino de statu naturæ puræ, l. 1. c. 7.

tectam suâ. Hìc, ut puto, Cardinali nondum in mentem venerat, aut exciderat forte, TUTISSIMUM suum. Tædet ulteriùs persequi.

Hinc tantùm obiter colligendum, quàm vacuos de Calvino triumphos agat, quasi magni Doctoris in hac controversiâ sententiam refugeret, quem ideo sic inducit loquentem; *Ac ne Augustini quidem sententia recipienda est, qui Gratiam ad Sanctificationem refert, quâ in vitæ novitatem per Spiritum regeneramur.* Calvin. Instit. l. 3. c. 11. 15. Iniquissima Loci mutilatio! sic enim Calvinus, *ne Augustini quidem sententia, vel saltem loquendi ratio, per omnia recipienda est; tametsi enim egregiè Hominem omni Justitiæ laude spoliat, ac totam Dei Gratiæ transcribit, Gratiam tamen ad Sanctificationem refert.* An Bellarmino ἰσοδυναμοῦσιν ista, *Sententia Augustini non est recipienda*, & *non per omnia? & saltem non loquendi ratio?* palam est Calvino minus placere Phrasin Augustini, in summâ Rei cum altero utrunque convenire.

Multò verecundior Salmero, qui Patres potius excusandos censuerit, utpote pro Fide solâ *liberiùs, & securiùs locutos*; In Galat. disp. 10. non cum Bellarmino *canis trahens*, ut totum Justitiæ inhærenti secum deferre cogat. Hoffmeisterus (vir gravis & prudens, sed magistrum Augustinum minus diligenter secutus) nullus diffitetur Patres *solius Fidei* Justificationem tueri: Judic. de August. Confess. Art. 4. Cur autem id minimè nunc faciant Socii Pontificii, causam reddit, *ne disputatio hæc iret in perniciem saluberrimæ*

berrimæ Pænitentiæ; quasi vero deserendus in Scripturâ Deus, deserendi Patres, ne quid forte pænitentiæ suæ sinistri accideret, & faciendum *malum*, ut eveniat bonum. Sed de Patribus ut puto, satis habent Adversarii, plura, si opus esset, habituri. Pergamus jam ad Ecclesias Reformatas.

CAP. III.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ CONstans sententia in Articulis & Homiliis.

Crassa Harmonistæ de illius judicio halucinatio. De literali sensu Articulorum tenendo decretum Regium. Subscriptio Canonica. Ad istam subscriptionem cum praxi suâ conciliandam, quid à novatoribus subinde afferatur.

CElebris est admodum toto terrarum orbe Ecclesiæ Anglicanæ in suis Fidei Definitionibus prudentissima *moderatio*, in quibus sane omnibus tam æquo stat libramine, ut neque sobriis ingeniis & veri amantibus offensæ, neque *leviculis* & *petulantibus* (quorum hoc seculo luxuriosa seges est) cavillandi ansam suppeditet. Quo placitis suis major (apud suos saltem) debetur reverentia. At quanto magis, ubi

ubi sacris nixa Scripturis, mentem suam verbis *conceptissimis*, eisque tam *perspicuis*, & *sæpius* demum repetitis exponit, adeo ut nullum Clero populisque suis contra Philosophandi locum relinquat.

Audiatur itaque de hac circa Justif. perstrepente nuper controversia, recitetur Decretum, Art. 11°. *Tantum propter meritum Domini & Salvatoris nostri per fidem, non propter opera & merita nostra justi coram Deo reputamur. Quare sola fide nos Justificari Doctrina est saluberrima &c.* Ecquid clarius? ne Sol quidem meridianus. *per Fidem*, *Sola Fide*, non propter opera, sive non *Ex operibus.* An verò *Solâ Fide*, idem erit quod ex Fide, sed *non Solâ*: *Non propter opera* idem quod *Ex operibus?* parcatur oculis, quæso dextris, quos erui difficulter sustinemus. Si forte latibulum quæratur in voce *propter*, quasi idem minimè valeret quod præpositio *Ex*, palam est in Articulo æquipollere, cum statuit *Ex Fide sola*, quod verum certè non esset, si etiam *Ex operibus*.

Cum autem Harmoniæ Author ab Articulo ad Homilias potius Ecclesiæ provocandum censuit, Ad Homilias ibit. Consulamus itaque (de quâ totus Ille, unde nescio, silet,) Homil. 1. de salute Gen. Hum. sub finem. *Fides*, inquit Ecclesia, *pænitentiam, Spem &c. non ita excludit, quin in omni Homine Justificato cum ea consocientur, excludit tamen à Justificandi munere.* Nihil disertius. Hic scilicet altum Harmonistæ silentium,

tium; qui si locum advertit, silentio suffocare haud quaquam debuit. Imo verò Ecclesiæ (ex nimio tantum uti spero æstu, sive ἀϐλεψίᾳ, juvenili (nam valde juvenem in *postscripto* suo se fatetur, cum Harmoniam composuit) in os obloquitur, cum hac tamen *observantiæ* & officii ceremonia, quod illum non dixisse serio admodum persuadere molitur, quæ *clariùs* & *significantiùs* (qua saltem per verba licet humana) ab eâ dici non poterant. Audiamus enim p. 333, *Ex quibus*, inquit, *clarè elucet quid summum illud sit, quod in negocio Justificationis ex Ecclesiæ nostræ sententiâ fidei distinctè tribuendum sit, nempe quod licèt cæteræ virtutes non minus necessariæ sint ad Hominis Justificationem quam Ipsa Fides, ac Fides propriè nihilo plus agat in isto negotio quam alia virtus &c.* Et ante, p. 331, *Ecclesia nostra palam profitetur se Doctrina illa sua nos solâ Fide Justificari, non illud voluisse, vel Fidem solam sine Operibus ad Justificationem sufficere, vel Fidem præ cæteris virtutibus ullam in Justificationis negocio efficaciam vel dignitatem tribuendam esse.* Quis ad ista totus non obstupescit, cum Ecclesiam audit *centies*, idque *terminis terminantibus*, contra definientem? Statuit nimirum Ecclesia (neque verbis potuit evidentioribus) Fidem ideo Justificare dictam *quoniam id confert ad Justificationem, quod nulla virtus, nullum aliud opus humanum potest*, adjuncta itidem ratione, quod *sola scilicet misericordiæ Divinæ promissionem amplectitur, rectaque nos ad Christum ablegat.*

gat. Nulla virtus, nullum aliud opus hoc poteſt, *ſola poteſt fides*, inquit Eccleſia. Contra Diſſertator Ille, *Eccleſia noſtra palam profitetur, Fidem in Juſtificatione nihilo plus valere quam aliam quamvis virtutem: ubi autem profitetur?* in Archivis forſan Utopianis. Quid hìc ab Eccleſia Filiisque ſuis genuinis dicendum, quam quod Cæſar in Senatu mox jugulandus, *Profecto ea vis eſt.* Judicent etiam Adverſarii. Imo, in ἐργοδιώκτας mitiſſima mater zelo Dei ejuſque gratiæ accenſa, præter morem ſic intonat, Homil. de Salut. part 2. *Doctrinam hanc* (i. e. de Juſtificatione per fidem ſolam & ſine operibus) *vetuſti omnes Eccleſiæ Chriſti ſcriptores approbant. Hæc veram Chriſti gloriam Doctrina illuſtrem facit, adeoque vanam Hominis gloriationem proſternit, & peſſundat. Eam quiſquis negaverit* (attende Lector) *pro Homine Chriſtiano non eſt habendus, ſed pro Chriſti ejuſque Evangelii inimico, & humanæ κενοδοξίας mangone.* Quæ hic verborum fulgura! quæ tonitrua!

Satis ut opinor ſuperque conſtat de Eccleſia Anglicana, quod ἐργοδικαίωσιν omnem ſuffragio ſuo non modo haud juvet, ſed penitùs exeeretur.

Pergendum nunc eſſet ad reliquas orbis Reformati Eccleſias, niſi quod Ænigmate quodam pauliſper detinendi ſimus, cui Davum me fateor, non Oedipum. Quippe vehementer non mihi ſolum ſed aliis quam plurimis mirari ſubit, quâ vel obſcuriſſimâ rationis umbrâ, quâ ſe defendant

defendant verecundiâ, qui ſe Eccleſiæ Anglicanæ *Filios*, etiam obſequentiſſimos, dici volunt, quique, ut tales, *manu*, & *Fide* data toties in Illius doctrinam conſenſum formaverint, cum eâ nihilominus bellum apertè gerant.

Quo Res tota dilucidior fiat (etſi, proh pudor! & lippi vident) ſubjicimus 1° *Declarationis Regiæ* Articulis Fidei præfixæ Partem, eo pertinentem, 2° Canonem Eccleſiæ.

In Declaratione ſic habetur. *Nemo deinceps aut Typorum operâ in publicum mittendo, aut inter concionandum Articulum detorquebit, quin ei cedet in evidente plenâque ejus ſententiâ, neque propriam affiget illius loco interpretationem, ſed in ſenſu literali, Grammaticóque intelliget. Si quis autem, ſive Profeſſor publicus in alterutra Univerſitate, ſive Præfectus Collegii, ceu demum alia qualibet Perſona, novum quemlibet Articulo ſenſum dederit — quam qui in Convocatione Regio aſſenſu noſtro jam de facto ſtabilitus eſt, Iræ noſtræ, & Cenſuris Eccleſiaſticis ſubjicietur.* In Canone autem 35. ita definitum legimus, quod *unuſquiſque in Miniſterium ſacrum admittendus, ſubſcribet* (inter alia) *ſe Librum Articulorum & Religionis per omnia approbare, ut verbo Dei conſentaneum. Utque omnis vitetur ambiguitas, ſub hac verborum formulâ* fiet Subſcriptio;

> *Ego N. N. volens & ex animo ſubſcribo hiſce tribus Articulis ſupra memoratis, adeoque omnibus quæ in iiſdem continentur.*

Notetur

Notetur insuper Libri *Homiliarum* approbationem in illo Articulorum contineri, uti *piam, salubremque* Doctrinam exhibentis, Art. 35.

Videamus itaque cum hac subscriptione toties repetita quam belle conveniat *Novatorum* nostrorum praxis, quémve ei fucum obducant. Isti, inquam, qui Justificationem *ex Fide & Operibus* ferruminant, contra planum & Gramaticalem Sensum Art. 11. in Homiliis fusiùs explicatum, uti vidimus. Isti, qui Justitiam Christi per Fidem nobis *imputatam* ad salutem, negant & rident, contra disertam *Homiliarum* sententiam, quod ostendimus cap. 8. Vel Isti demum (ne alia memorem) qui de *Ethnicorum salute* Philosophantur, contra Art. 18. Et cum urgentur Articulo, manifestissimâ illius sententiæ distortione in Fidiculis cruciant, garrientes miserè (quod ad *Ethnicos* suos attinet) non posse servari nisi *per Christum*, cum tamen omnia Illorum argumenta aliorsum spectare quivis videat, quasi scilicet sine omni in Christum *Fide*, *Idolis* etiam non abnunciatis, ad cælum aditus pateret. Hìc etiam *nota* loquor. Quid autem ad ista dicunt morigeri isti Ecclesiæ Anglic. Filii? Cum ad hujus nodi solutionem in publicum nihil, quod sciam, emiserint, aliunde conjectandum, (si tamen quæ quis publice satis afferentes auribus exceperit, *conjectatio* dicenda est.)

1° Itaque dicetur fortasse, (quàm pudet fuisse dictum!) *non eandem* esse Eccles. Angl.

 nec

nec eandem in Articulis & Homiliis *sententiam*, quæ olim fuerat. Patres illos qui ista nobis reliquerunt, viros fuisse *bonos*, sed *Calvini* scilicet aut *Fanaticismi* aliquid in albo habuisse &c. Parco nominibus. At ego certe inter legendum, eundem semper video Articulorum *numerum*, eadem omnino *verba*, *syllabásque*, quæ olim fuerunt, Anno. vz: 1562, rursusque, Ann. 1602. quidni & eandem plane sententiam? Sed fortasse verborum significatio usque adeo nuperrimè immutata est, ut in *contrariam* plane intra vicennium, aut paulo ampliùs abierit, ita ut Justificari fide *solâ*, nunc significet Fide solâ, *& operibus*, & sic in reliquis. Optandum itaque ut Juristæ novum nobis Titulum formarent, *De Verborum Significatione*; ostendant Isti, ubi vacat, aliam Fidei Ecclesiæ Anglicanæ formulam, aut suam ab eâ discessionem rotundè profiteantur.

20, Causari poterunt nonnulli (utinámque nuda hæc esset conjectatio) se loquentem intelligere Ecclesiam sensu *congruo*, i.e. Suo Ipsorum privato. Quippe idem Ipsis est *ex Fide solâ*, & *non solâ*, sed unà cum Operibus suis. Idem *Imputata* Christi Justitia, & *non imputata*, sive *nostra* Ipsorum: Idem unumquemque servari posse (etiam *Idololatram*) in sua *Ipsius* Religione, & non posse: & pari passu idem subscribere, & *non subscribere*.

Quin 1° si hæc aut Juramentorum aut promissionum usurpanda sit Licentia, ut quis sensu

ſu ſuo, etſi *contradictorio*, non autem ex mente ejus *cui* juratur aut promittitur, iſta faciat, actum erit de utriuſque *Fide*, & perinde eſt quod Juramentum, quódve promiſſum præſtemus, vel non præſtemus. Imo meliùs humanæ Societati cederet ejuſmodi quæcunque vincula procul abjicere, cum adhibita, nihilo quemvis *tutiorem* reddunt, & non adhibita multò *cautiorem*. Sed hoc cavillum peſſundedit in Prælectionibus ſuis de Juramento ὁ μακαρίτης Sanderſonus.

2° cum vox Eccleſiæ *Literalem* aliquam ſive *Grammaticam* ſententiam in confeſſo habeat, iſtamque ſequi jubentur Subſcribentes, cur ſenſum illi minimè Literalem & contra omnes Grammaticæ leges affigunt? nam quæ rogo Grammatica hunc ſuſtinebit ſenſum, Juſtificamur *ſolâ* Fide, i. e. *non ſolâ*, ſed aſſutis operibus? num *ſola* idem Grammaticè valet, ac *non ſola*? Hìc ad illos clamandum eſt, licèt inflexo ſenſu, quod Æditυus Templum Dianæ fulgentiſſimum intrantibus, *Parcite oculis*, nolite nobis iſtos eruere.

3° Quidni demum idem faciant S: *Scripturæ*, ibiqúe quidlibet ex quolibet procudant contra apertiſſimam ejus ſententiam? Ego certe ægrè adducor, ut credam quemvis ingenuè educatum hujuſmodi portenta *ſeriò* profundere: Sed Hìc eſto meum *non ultra*. Reliqua Deo καρδιογνώστῃ permittamus, qui *omne opus in Judicium feret cum omni re ſecretâ, ſive bona fuerit, ſive mala.* Eccleſ. 12.

CAP. IV.

ECCLESIARUM EXTERARUM, quæ Reformatæ audiunt, Judicium.

Omnes ferè Ecclesias Reformatas à se stare, manifesta Harmonistæ calumnia; Neque Augustana, neque Argentinensis Confessio Illi favet. Pontificii opera sua Justificationis præparatoria Christianas esse virtutes negant. Confessionum singularum contra Illum suffragia seorsim exposita. Confessio Augustana & Argentinensis Cæsareæ Majestati exhibita eò majore cautela compositæ.

SUmmo quidem consensu Ecclesiæ Exteræ Justificationem per Fidem sine operibus disertè docent, uti in Syntagmate sive Corpore Confessionum Fidei suæ cuivis consulenti lucenter patebit. Quo magis miranda est Harmonistæ nostri παῤῥησία, cap. 6. ubi rotundè & tanquam ex tripode de illarum Judicio pronuntiat his verbis; *Certum est eas omnes, vel saltem earum primas à nostris partibus veluti ex professo stare.* Proh fidem iterum! nam neque primæ, neque mediæ, neque postremæ favent. Omnes habet (ne unâ quidem exceptâ) contrà, idque acerrimè, militantes. Hæ siquidem Ipso etiam fatente (quod notatu dignum) Justificationem ex fide solâ (quoad terminos saltem) unanimes docent. Si autem quoad Terminos & ver-

ba

ba, unde aliam, quæſo, illis mentem obtrudit? an ex nutu, geſtu, aut mutis ejuſmodi ſignis (neque enim κεφαλοσυάστης haberi vir pius cupit) Aut itaque defuit Eccleſiis animorum ſenſa utcunque explicandi facultas (& mirum ſane in modum defuit, ſi verbis ſenſum planè *contradictorium* intus premerent) aut perfidè egerunt; quæ aliud calamo docerent, aliud mente ſupprimerent; aut demum quod verba ſonant, idem (uti decuit) omnino ſentiebant, ſicque reum & confitentem habemus, ab ipſo nequaquam ſtare Eccleſias, ſecúmque pugnantem. Bella quidem *Harmonia!* Sed neque *Apoſtolica* neque *Eccleſiaſtica*; Harmonia ſcilicet nova *Contradictoriorum.* Quod autem de operum *Merito* ficulneum aſſuit, ſuo loco facilè detrahetur, ubi (juvante Deo) ex operum *merito* & *ex operibus*, verbi Divini, imo & Eccleſiarum ſenſu, æquivalere in apertum dabimus.

Verum hoc ſe plenius demonſtrare dicit c. 18. Quid autem eò loci demonſtratur; 1° ſcilicet *Eccleſiam Anglicanam Ipſi favere*; ſed opinor me calumniam iſtam (parum ſanè verecundam, utinamque Rei indignitas mollius aliquod pateretur vocabulum) capite præcedenti diluiſſe, ubi conſtat nullam *ſtudioſiùs*, nullam *acriùs*, & *ex animo* magis adverſam. Deinde ad Confeſſionem feſtinat Auguſtanam, quam Reformatarum omnium *nobiliſſimam* vocat. Et ne forte exceptam putemus Anglicanam, Eccleſiæ noſtræ proceres *eam uſque adeo ſecutos ait, ut qui illam*

ignorent, Articulorum nostrorum sensum excipere vix queant. Quis hinc ad Ecclesiam Anglicanam rediturus sit honos, latere me fateor, ut veluti Magistra & Interprete egeret Augustana; Confessionémque ediderit adeo languidam & obscuram, ut sine altera *intelligi vix possit.* Augustanæ quidem Confessioni, valdè Orthodoxæ (neque hilum Dissertatori profuturæ) nil ego detractum cupio, sed nec *Anglicanæ* nostræ usque adeo anteponi facile sustinuerim.

Quid verò ista sua statuit *omnium nobilissima* Confessio? nimirum si illi credimus *pænitentiam omnino necessariam esse ad Justificationem*, Consulatur itaque locus Art. 20. ab Ipso citatus, & qua fide mox patebit. *Quanquam* (inquit Articulus) *Contritio aliqua ceu pœnitentia necessaria est, tamen sentiendum donari nobis remissionem peccatorum, & fieri nos ex injustis justos, i. e. reconciliatos & acceptos ceu filios Dei gratis propter Christum, non propter dignitatem contritionis aut aliorum præcedentium aut sequentium.* Bene habet; Contritio *aliqua* est necessaria, inquit Articulus, Harmonistæ placuit suam hic nobis commodare Prosthaphæresin, subtrahere vocem *Aliqua*, quâ utitur Articulus, ut cum fænore redderet apponendo *ad Justificationem* (quod ejus assumentum) aversantur Augustani. Hic itaque est fallacia à dicto simpliciter. Contritio *aliqua*, inquit Confessio, quam sine Justificatione reperiri posse, nemo ignorat.

Judas ille Filius perditionis, pænitentia *aliqua*

quia & *contritione* affectus legitur; & pœnitentiam innuit Apostolus *pœnitendam*. Hic itaque sunt quatuor termini ex Ignoratione etiam Elenchi; dum à contritione *aliqua* arguitur ad contritionem salutarem & Deo acceptam. Rursus Augustani statuunt *contritionem aliquam esse necessariam* sine omni adjecto, Ille *ad Justificationem* velle contendit. Quis hic Tyro non videt plus esse in Conclusione quam in præmissis? proferatur in Confessione vel unum ἰδέα eò spectans & victas Dabimus manus. * Sed ne longum faciamus, res facile expedietur, Augustanos scilicet nihil tale in animo habuisse, quod illis affingit Dissertator, nempe contritionem salutarem præcedere Justificationem; quod sic probamus; Qui sunt in potestate Diaboli salutarem non habent contritionem, sed ante Justificationem omnes, secundum confess. illam Augustanam, sunt in Potestate Diaboli, itaque Justificationis antecedanea nulla erit contritio salutaris. Propositionis veritas in Luce Meridia-

2 Cor. 7. 10.

*Imo neque *Pontificii Fidei, Pœnitentiæ, Timori, aliisque operibus suis præparantibus tantum tribuunt ut pro Virtutibus* Christianis *habeant. Costerus Enchirid.* cap. 6. p. 255. *Edit. Colon.* Ann. 508. *ubi de iis Ipsis verba faciens, hæc habet, quod tametsi sint dona Dei, & in magnis Dei beneficiis reponenda &c. necdum tamen sunt* Virtutes Christianæ *quoad infusa gratiâ & Charitate, quæ forma est omnium virtutum, cælitus illustrentur.* [*Si itaque virtutes non sunt Christianæ, quomodo Christianum Justificant? aut Si tantum præparatoriæ, quomodo opus beatissimum absolvunt? non magis utique ad maximum quam comportatio Lapidum, Lignorum, idque genus materiarum ædifica Domum. Imo neque tantum ex se conducunt, quia cum Christianæ virtutes non sint, ad opus Christianum tam sunt ineptæ, quam paleæ, aut festucæ ad extruendam Domum. Ut ut fuerit, omne antecedens non est præparatorium Consequentis, & si talia demus opera sensu aliquo præparatoria, ex iis tamen non sequi continuo Justificationem in aperto est, nisi forsan Achabi, & Judæ Pœnitentiam Justitiæ, quam nunquam (quod scimus) habuere, præparatoriam dicamus. Nos vero quærimus quid Justificat, non quid præparat ad Justitiam.*

na conspicitur, Assumptum probatur. Sunt omnes sub ista Diabolica potestate ante Fidem, ergo ante Justificationem. Consequens haud negabitur, quia utrimque conceditur Justificationem non esse priorem Fide. Antecedens est ipsius Augustanæ Confessionis eod. Art. idque iisdem verbis. Rursum, Fructus & effecta Fidei non antecedunt Justificationem, quia sic antecederent ipsam Fidem, & sic effectus esset prior causâ. At vero opera quæcunque bona (inter quæ pænitentia & Contritio) *sunt effecta & Fructus Fidei*, definiente eodem Articulo Augustano. Itaque secundum Augustanos Contritio salutifera neque antecedit Justificationem, neq; ad illam est ullo modo necessaria. Et sic humi corruit Harmonistæ Domus Augustæ extructa, quam multò tutius fundasset Romæ. Cum vero dictam Confessionem ἐργοδικαιοσύνῃ suæ adhuc adblandiri colligit, quod videlicet agnoscat locutionem esse *figuratam*, qua Fide Justificari dicimur, nihil opus erat, ut citandæ Confessionis tædium de re ab omnibus agnita aut sibi aut Lectori crearet. Quippe notissimum est Reformatos omnes idem ubique personare, cum negant (contra Socinianos) Fidem Justificare ut *actum* aut *opus* humanum, sed ut accipiens (per Metonymiam scil. effecti) beneficium divinum (Deus enim est qui Justificat, & Fides est donum Dei) vel ut recte Dissertator Ipse (ô si sic omnia!) quâ Actus ponitur pro *objecto* Fidei, i. e. pro Justitiâ Christi per Fidem applicata.

plicata. Quid hoc verò ad ἐργοδικαιοσύνην conferat, intelligat qui poteſt.

Ejuſdem quoque commatis eſt, quod ex confeſſione *Wirtembergica* urgetur, tam ſane infæliciter, ut Adverſarii cauſam nihil lethaliùs feriat, ſub quintâ quaſi coſta. Audiantur verba Cap. de Juſtif. *Credimus quòd ad faciendam & exercendam Juſtitiam neceſſariæ ſint hæ virtutes, Fides, ſpes, charitas* &c. Adverte, *ad faciendam & exercendam Juſtitiam.* i. e. alia bona opera, non enim dicit ad Juſtificationem: Nam hominem *facere & exercere Juſtificationem ſuam* ne ruſticiſſimæ quidem ſuſtinebunt aures. Imo quàm procul abfuit, quod inde colligit Diſſertator, à mente Confeſſionis, ipſa ibidem continùo docet, his verbis, *Sed ſentimus à verâ Apoſtolicâ & Catholicâ doctrinâ longiſſimè abhorrere eorum ſententiam, qui docent Hominem fieri Deo acceptum, & reputari coram Deo Juſtum, propter has virtutes* &c. Et paullò poſt, *Idcirco ſentimus veteres ac majores noſtros rectè dixiſſe, nos coram Deo ſolâ Fide Juſtificari.*

Quod hinc Lucrifecit Diſſertator, totum hoc Syllogiſmo dabitur. Qui negant quenquam Juſtificari propter opera, vel ullâ aliâ ratione, quàm *ſola* Fide, Illi favent Juſtificationi ex *non ſola* Fide, & adjunctis operibus, (ſicque favent abſurditati Contradictoriæ) ſed hoc facit Confeſſio *Wirtembergica*, ergo & illud; Qui hujuſmodi ſubtilitatibus capietur, capiatur.

Satis jam dictum videretur de Eccleſiis Re-

formatis, nam idem omnes (ut suprà recepimus) unanimes profitentur. Sed ne hoc ut gratis pronuntiatum postuletur, simulque illorum commodo consulamus, quibus *Corpus, & Syntagma Confessionum Fidei apud Ecclesias Reformatas* non est ad manum, visum est prædictis sequentia quoque Testimonia oculis subjicere.

Confessio & expositio brevis & simplex Syncerae Religionis Christianæ *Helvetica*, cui subscripsere quoque Ecclesia *Polonica*; quæ est in Ducatu Zathoriensi & Oslviecimensi, *Hungarica*, item *Scoticana*, & aliæ, hæc habet de Justificatione. c. 15.

Propriè Deus solus nos Justificat, non imputans nobis peccata, sed imputans ejus nobis Justitiam. Quoniam verò nos Justificationem hanc recipimus *non per ulla opera*, sed per Fidem in Dei misericordiam & Christum, ideo docemus, & credimus cum Apostolo, Hominem Peccatorem Justificari sola Fide in Christum, non lege, aut *ullis operibus*. Et paullò post paragr. *Cæterum.* Itaque Justificationis beneficium non *partimur*, partim Gratiæ Dei & Christo, partim *nobis*, aut *dilectioni operibúsve*, vel *merito nostro*, sed in *solidum* Gratiæ dei in Christo per Fidem tribuimus.

Gallicana

Gallicana Confessio. cap. 20.

Credimus nos solâ Fide fieri Justitiæ participes. Hoc autem ideo fit, quoniam promissiones vitæ nobis in Christo oblatæ tunc usui nostro applicantur, & nobis redduntur efficaces, cum eas amplectimur &c.

Confessio Belgica. cap. 22.

Credimus Spiritum Sanctum veram in Cordibus nostris Fidem accendere, quæ Jesum Christum cum omnibus suis meritis amplectitur, eumque suum ac sibi proprium efficit, nihilque *extra eum* quærit. Et paulò post, Meritò igitur cum Paulo dicimus, Nos *solâ Fide* Justificari, ceu *absque operibus*.

Confessio Argentinensis, Cap. 3. Cui etiam subscripsêre Constantiæ, Alemmingæ & Lindaviæ Civitates, sic habet.

Cum jam aliquot annis ad Justificationem Hominis requiri *propria ejus opera* traditum sit, nostri hanc totam Divinæ benevolentiæ, Christique merito acceptam referendam, *solaque Fide*, percipi docuerunt.

Hoc tamen obiter minimè prætereundum censeo, Confessionem hanc Argentinensem unà cum Augustanâ Cæsareæ Majestati ipsi *nominatim*

tim oblatas fuisse (uti constat ex earum præfationibus) quo certè nomine cautiùs & temperatiùs (si quid in hac controversia urgeret scrupuli) contexi oportuisse, nemo non intelligat. Neque tamen idem cum sociis suis Reformatis suffragium ferre quicquam dubitarunt, ὁμοδοξίας integerrimæ argumentum certissimum. Et (ne quid celemus, quod in objectionem trahi posse videatur) quanquam Argentinensis ista cap. 40. Statim ab initio fluit his verbis,

Nolumus autem hæc sic intelligi, quasi salutem ac Justitiam in ignavis cogitationibus, fide vel charitate destituta, quam informem vocant, ponamus; quandoquidem certi sumus neminem justum aut salvum fieri posse, nisi amet summè Deum, & imitetur studiosissimè, non est existimandum eam contradicere Doctrinæ, quam disertè asseruerat, & firmiter ex Scripturis probaverat, capite proximè præcedenti (id enim nimiæ esset incuriæ aut inconstantiæ Confessores optimos arguere.) Nam quod ad priorem attinet cautelam, *Fidem scilicet Charitate destitutam non esse Justificam*, in eo loquitur nihil à Sociis quibuscunque confessoribus diversum, neque id in dubium à nobis vocatur. Quod autem ad alteram, *neminem Justum ac salvum fieri posse, nisi amet summè Deum* &c. Neque id inficias eunt Reformati, sensu quo ab Argentinensibus intelligitur, i. e. ut amor ille Dei sit *Fructus Fidei*, & *sequens* Justificatum non *antecedens*, unde Fide nos regenerari, bonos evadere rectosque

que, imo *fontem nobis bonorum perennem copiosique effluum* ibidem prædicant. Ista ad præoccupandum (si quod fortè ab optimâ Confessione emergeret) cavillum, operæ pretium monere duximus.

Confessio Saxonica, Titulo de Remissione Peccatorum, & Justificatione, paragr. *Hic de particulâ.*

Ideo in Ecclesiis nostris dicitur, Fide solâ Justificamur, quod sic intelligimus, & declaramus. Gratis propter solum Mediatorem, non propter nostram Contritionem, ceu alia nostra Merita, donamur remissione peccatorum, & reconciliatione. Etsi enim Contritio, & aliæ multæ virtutes cum Fide, ceu hac Fiducia simul accenduntur, tamen hæ virtutes non sunt causa, seu meritum Remissionis peccatorum, nec propter eas persona placet. (consequenter autem neque Justificant.)

Confessio Bohemica Art. 6.

Porro etiam docent per Christum Homines gratis, Fide in Christum, per misericordiam Justificari; Salutem, & Remissionem peccatorum consequi *citra ullum humanum opus & Meritum.*

Et Art. 7°.

Atqui etiam docent, quâ potiſſimùm ratione & conſilio bona opera ſunt facienda, non ideo ſcilicet, ut per ea homines Juſtificationem, Salutem, peccatorúmve Remiſſionem ſe aſſequi arbitrentur &c. Sed facienda ideo opera docent, ut per ea approbetur Fides. &c.

Confeſſio Baſileenſis. Art. 9°.

Quamvis hæc Fides per opera Charitatis ſe ſine intermiſſione exercet, exerit, atque ita probatur, attamen *Juſtificationem* & ſatisfactionem pro peccatis noſtris non tribuimus operibus (quæ Fidei *fructus ſunt*) ſed tantùm veræ Fiduciæ & Fidei in effuſum ſanguinem Agni Dei.

Orientalis Fidei Confeſſio à Cyrillo Patriarchâ edita. cap. 13.

Credimus Hominem Juſtificari per *Fidem, non ex operibus*; quum autem dicimus, *per Fidem*, intelligimus Fidei Correlativum, quod eſt Juſtitia Chriſti, quam Fides apprehendit, nobiſque applicat ad ſalutem.

In harum Confeſſionum nullâ, nec in aliquâ aliâ Reformatâ reperitur hæc propoſitio, *Ju-*

ſtificamur

stificamur coram Deo ex operibus, ſed ei planè contradictoria, videlicet Juſtificamur *Fide ſolâ*, vel Juſtificamur Fide *abſque operibus*. Propoſitiones autem Contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ: ergo aut falſa eſt, non modò Eccleſiæ Anglicanæ, ſed omnium quoque cæterarum, quæ Reformatæ dicuntur Eccleſiæ, aut falſa eſt ex parte Harmoniſtæ illa, quam impugnandam divino auxilio ſuſcepimus.

CAP. V.

De Fontibus erroris circa Juſtitiam Operum. primus abuſus Doctrinæ.

Graviores ex Doctrina operum notavit Paulus.

SOLIFIDIANI *qui*.

PRimus eſt metus (neque viro bono prorſum indignus) ne hoc dogmate feneſtra aperiatur pravis hominum * cupiditatibus, qui cum audiunt *Solâ* Fide quenquam juſtificari, nec eò quicquam conferre opera, ſceleribus fræna laxare ſolent, ſicque Gratiam Dei in petulantiam

* *Hanc reddit cauſam Hoffmeiſterus, cur Pontificii ſui ſe oppoſuerint Doctrinæ Juſtificationis per ſolam Fidem, ne iret in perniciem ſaluberrimæ Pœnitentiæ, uti ſupra citavimus, cap. 2. Idem & Bellar. De Juſtif. l. 1. c. 19. Qui Doctrinam de Fide ſolâ ex Auguſtino male intellecto invidioſè onerat, quaſi cum veteribus Hæreticis putemus ſufficere Homini Fidem, etiam ſi male vivat, quod nunquam hactenus Ex ullo Scriptore Reformato oſtendere potuerint, neque æternum oſtendent. Sed idem & alii Paſſim.*

petulantiam convertunt. At quis unquam vir sobrius de præstantiâ Doctrinæ ab effectu plane *accidentali* pronunciandum censuit? nimirum sic actum erit de totâ lege Dei, toto itidem Evangelio, imò & de Deo ipso. Scandalum hoc *acceptum* esse, non *datum*, nulli dubitamus; & ratio evidentissima est, quoniam ii ipsi i. e. Patres, & Reformatæ omnes Ecclesiæ, qui Justificationem in *foro Dei* per solam Fidem meritò astruunt, & inculcant, ii, inquam, ipsi veram & salvificam Fidem esse negant, quæ *cordis*, & *vitæ* Sanctimoniâ careat; sine quâ cum Apostolo statuunt *neminem visurum Deum*. Quid hîc aut luto vitiorum immersis, aut introrsum turpibus Hypocritis perfugii? cum hoc tantùm requiratur, ne in *conspectu Dei* se Justificatum iri somnient, ullo *operum*, ullo quovis intuitu, nisi *unius Justitiæ Christi per Fidem obsignatæ*; Justitiam verò, seu bona opera exercere sub animarum periculo teneantur. Nullus hic erit impiis elabendi locus, nil datum Scandali.

Interim qui Fide istâ salvificâ beantur, mirum est, si tales sibi Strophas & *paralogismos* nectere aptiores reddantur, ut, *quia abundavit gratia*, abundaret quoque apud ipsos peccatum; apage istam calumniam in Dei Gratiam, quæ nil nisi *sibi simile* generare queat, ex Hominibus peccatoribus *Sanctos* faciens, non *canes*, *porcos*, aut ejusmodi bestias. Plus equidem cælestia sapiunt, qui Fidem cælestem possident

ſident. Hinc tamen Reformatos *Solifidianorum* carbone denigratos conſtat, idque non à Pontificiis modò, quod multo eſſet tolerabilius, ſed à domeſticis, adeóque ab Ipſo Diſſertatore ſæpiùs: quaſi Juſtificationem *Fide ſolâ* aſtruentes (Reformatæ ſcilicet omnes Eccleſiæ) bonorum operum Exercitia ſuſque deque haberent, aut ſaltem ab eorum doctrinâ hoc ſponte ſuâ ebulliret, quâ nulla craſſior calumnia. Quod cum ita habet, Lectori haud ingratum fore ſpero, ſi vocabuli novitii ad Reformatorum *Invidiam* excogitati originem coràm ſiſtamus. Superiore nimirum ſeculo bella vox à bonis primùm Jeſuitis procuſa, in lucem venit, quos unà cum aſſeclis ſuis ſi nos ex adverſo *Solimeritanos* nuncupemus, hoc pari Latinitatis jure fieret, majore veritatis. Quid ergo Monſtri ſit *Solifidianus*, diſcendum eſt ab ipſis parentibus: unus autem pro cunctis doceat Fevaidentius, qui cum in *Iren. l.* 1. *c.* 20. verè dixiſſet *Simonianos*, & *Eunomianos*, turpitudinis *Gnoſticæ* ſigniferos, (quibus & alios ferè innumeros, modò libuiſſet, adjungere licuit) in hac fuiſſe Hæreſi, ut non bonis operibus, ſed *ſolâ Fide*, i.e. Charitate deſtitutâ hominem ſalvum ſtatuerent; ejuſdem prorſus Inſaniæ *Lutheranos* & *Calvinianos* affines facit; Quo autem pudore nimis conſtat, cùm illi contrà in publicis non modò *Confeſſionibus*, ſed in privatis quoque Scriptis concentiſſimâ voce paſſim reclamant. Illi (inter alios) accinit (& tono quidem multo altiore)

Quinetiam (cum reliquis ferè omnibus) Magiſter Bellarm. De Juſtif. l. 4. c. 1. Videntur, inquit, omninò Exiſtimare hominem ſalvari poſſe, etiamſi nulla opera bona faciat, neque mandata Divina cuſtodiat. Hem viri candorem, Fidem!

altiore) Harmonista, qui Orthodoxos sibi ad'versantes ubique *Solifidianorum* vocabulo molliter castigat, etsi probè sciat nullam illis haberi Fidem salvificam *Charite* destitutam, quod etiam temperatiores agnoscunt Pontificii. Huic itaque Sociísque suis *Solifidiani* sumus omnes, quicunque *Helenam* istam operum à Justitiâ divellimus. Solifidianos scilicet habemus *Patres*, Solifidianam *Ecclesiam Anglicanam*, adeóque omnes *Reformatos*, Solifidianum quoque ipsum *Evangelium*. Quem nunc pudebit hujus Solifidianismi talibus *patronis* ornati? Hæresin ipsam verè sic dictam quod attinet, scimus perantiquam esse, ab Apostolorum usque temporibus deductam, uti constat ex eorum Epistolis, Jacobi potissimùm, Petri, & Judæ; sed ostendat qui potest, *vel unum* ex Patribus, aut boni commatis Authoribus, qui Reformatorum sententiam de Justificatione per Fidem solam luto isto conspurcaverit. Quid itaque aliud dicendum, quàm quòd hæc, & hujusmodi stigmata veritati inusta, si *Scenæ* (quod valde metuendum) haud serviant, aut *sciolorum* sunt ineptiæ, aut *malevolorum* calumniæ? Interim subductis ritè rationibus, ad ipsos Pontificios redibit verè sic dictus Solifidianismus, quorum versatiles & *Latitudinarii* (si tamen ullâ dimensione continentur) Casuistæ neminem libentes in Orcum dejiciunt, qui *Confessus*, & percepto suo, quod vocant, *Sacramento*, & vel unius superficiariæ *attritionis* actu semicoctus *pænitens* Fidem profite-

tur

tur *Carbonariam* (ea ſcilicet Vaticanam maximè fovet alítque Culinam) quo de videſis Myſterium Jeſuitiſmi Epiſt. 10.*p.* 20. ſi deſit iſte *Carbo* Fidei, vicem ſupplebit Infidelis, apage Hereticum, ad flammas primùm Canonicas(in Canonibus certè Apoſtolorum minimè reperiendas) mox ad *Infernales*, actum eſt de ſalute. Si vitam verò quis omnibus flagitiis infamem egerit, ſi Templa ſpoliarit, Regna everterit, Reges mactaverit, Cælum Terræ miſcuerit,aut laudi datur, ubi Cauſæ Catholicæ inſervit,aut facilem in parato habet veniam, modò (ut jam diximus) in fide Pontificiâ animam efflaverit. Ecquis hoc craſſior Solifidianiſmus? & Reformati à Reformatis Solifidiani adhuc audimus? Sed ſua cujuſque Lingua ſui erit, dum venerit Dominus. Etiam, veni Domine Jeſu.

CAP. VI.

Fons alius Erroris, Distinctio inter opera Justificantia, eorúmque meritum.

Ex operibus, & propter opera, sive ex dignitate Operum, idem Paulo & Ecclesiis, nominatim Anglicanæ, Saxonicæ, Bohemicæ &c. Proinde utraque ab eis rejecta locutio. Argumentum Pauli ἀναντίῤῥητον. *Argumentum ab adiaphoris.*

CUm toties negat B. Paulus quenquam Justificari ἐξ ἔργων, & totum Justificationis Fidei tribuit (quem patres & Ecclesiæ R; uti par est, attentiùs sequuntur) nonnulli ἐργοδικαίων suam in tuto positam bellè sibi blandiuntur, si ἐξ ἔργων, & δι' ἔργα, sive δι' ἔργων ἀξίαν, *ex* operibus & *propter* operum *dignitatem*, multùm distare somniaverint: Hinc enim etsi dignitas operum procul arceatur, quo ipsis tamen operibus ad Justificationem fiat aditus, nihil impedire volunt: erit scilicet Justificatio *ex operibus*, quanquam sine operum *merito*. Cùm autem hoc præcipuum sit, & omnium maximè populare Adversariorum latibulum, eo inde diligentiùs extrahendi sunt.

Et 1° quidem fatendum est, locutiones istas *ex operibus*, & *propter* operum dignitatem, sive meritum, idem statim ἁπλῶς haudquaquam sonare; ut in rebus civilibus, maximè si par mercedi

cedi dignitas intelligatur. Poteſt Mævio ad Caium redire lucrum ex opere, cujus aut nulla, aut perobſcura ſit dignitas, lucro ſaltem minimè proportionata; ut ſi librum in propinquo jacentem porrigens, eo ipſo nomine viginti accipiat aureos.

Hoc tamen 2° aſſerimus, quòd in Epiſtolis omnibus *Paulinis*, imo & *Eccleſiarum Reformat.* Scriptis, quandocunque de Juſtificatione agitur in conſpectu Dei, Juſtificari *ex operibus* & *propter* operum dignitatem, idem omninò valent, ita ut qui ex operibus ſenſu Apoſtolico Juſtificatur, ex operum *merito* & dignitate Juſtificari neceſſe eſt. Hoc itaque probandum reſtat, neque operoſa res eſt. Sic enim arguimus, omnis Juſtificatio oppoſita *gratuitæ*, eſt *meritoria*, ſed talis ſenſu Apoſtolico eſt Juſtificatio ex quibuſcunque operibus, Ergo. Propoſitio in confeſſo eſt apud omnes, nemo enim in hac Controverſiâ rem ullam opponit Gratiæ * præter meritum, neque tertium ſane excogitari poteſt. Aſſumptio eſt ipſius Apoſtoli, loco iſto ἀναντιῤῥήτῳ, Rom. 11. 6. *Si ex operibus, non ex Gratiâ; ſi ex Gratiâ, non ex operibus.* Dicent fortaſſe Adverſarii (nec enim aliud habent quod dicant,

** Salmero in Galat. diſp. 11. Gratia non ſimpliciter opponitur operibus, ſed meritis quæ debitum conſtituunt. Quod autem mox adjungit in arg. 4. minimè prætereundum Idem eſt, inquit, Juſtificari gratìs, & Juſtificari ſine operibus, & pro eodem aſſumit Apoſtolus. Sed hoc effato Cauſam ſuam miſerrimè laniat, uti noſtram omninò Confirmat. quippe ſi idem ſit dicere Juſtificari gratìs, & Juſtificari ſine operibus, tum idem quoque Juſtificari ex operibus, & non gratìs: ſi autem non gratìs, tum ex merito. quia 2dum Ipſum Gratia & meritum opponuntur: ergo fruſtra erit ex mente Salmeronis, qui Juſtificari* ex operibus & *propter eorum meritum diverſa facit.*

& si dicunt, hoc aliquid nihil est) Exclusionem non esse *Universalem*, opponi scilicet Gratiam *aliquibus* operibus, non omnibus. Sed quâ hoc ratione dicetur? nam 1°. palam est propositionem *indefinitam* esse, nec ulla consequentèr opera in terminis excludere. 2° æquè constat in materiâ esse *necessariâ*, quæ æquivalenter Universalem efficit. Constat, inquam, ex totâ Sermonis Apostolici serie, scopo toto, ab initio Epistolæ ad fin. cap. 4[ti] (aut 5[ti], si mavis) ubi ex professo de Justificatione tam multis Vir Divinus argumentatur, quòd nulla ibi, nulla ullibi excipit opera, quin omnia in Justificatione opposita Gratiæ pronuntiet, quod sic breviter expedimus.

Omnia opera Divina lege præcepta in Justificatione sunt opposita Gratiæ.

Opera quæcunque bona sunt tali aliquâ lege præcepta; Ergo *eatenus opposita Gratiæ.*

De Assumpto nulla lis est. Propositio evincitur conferendo *Rom.* 3. 9, 19, 20, 24. Commate 9°, inquit Apostolus, *probavimus omnes tum Judæos tum Gentiles esse sub peccato.:* inde v. 19. infert utrosque, omnes esse sub Lege, inde autem v. 20. non posse quenquam Justificari *ex operibus*, cùm opera omnia sunt alicujus legis, sive (quod eodem redit) in lege aliquâ præcepta; Hinc Commate 24, Justificati δωρεὰν τῇ χάριτι αὐτοῦ; Quos loquitur Justificatos? nimirum quicunque

quicunque Justificantur, omnes, sive Judæos, sive Gentes, uti constat superius; quomodo Justificatos? an ex operibus, hos, vel illos? nequaquam, *sed gratis, per gratiam ejus*, (verba Emphaticè ingeminata) cur autem *gratis per ejus gratiam?* quia *non ex operibus ulla caro Justificabitur*, v. 20. non ex ullis ulla; Quid ergo clarius quàm opera *quæcunque* (Justificationem quod attinet) opponi *Gratiæ*, consequenter autem idem Paulo esse *ex operibus* Justificari, & *propter* eorum dignitatem, sive *meritum*.

2°. Si Justificamur *ex operibus*, non propter eorum dignitatem aliquam, quid obstat quò minùs ex operibus *Adiaphoris* Justificemur, perinde ac bonis? Hoc autem absurdum est, ut, quod nihil in se bonitatis habet, bonum & rectum in Curiâ divinâ faciat. Constat certè operibus, ceu legaliter, ceu Evangelicè bonis, suam inesse dignitatem, quanquam gloriæ mercedi immane quantum imparem; cur aliàs dicuntur *bona*? cur *grata Deo*, tum in Lege, tum in Evangelio, mandata? Si autem præcisa hac dignitate Justificant, quæro cur operibus etiam *adiaphoris* idem denegetur? non propter *dignitatis* aut *meriti* defectum, quia secundùm Adversarios ista in Justificatione nil faciunt; *ex operibus*, inquiunt; absit, ut *propter opera*, vel ullam eorum *dignitatem*. Hìc itaque pariter se habent negativè ad vim Justificationis omnem, opera vel optima, & merè adiaphora, in neu-

tris

tris quippe dignitas. Quid ergo? an bona Justificant, quia sub præcepto? sed hoc est ponere semper dignitatem, quæ ex *conformitate legi* tota nascitur, imò & contra propriam ipsorum hypothesin arguere, quæ in Justificatione omnibus ea spoliat ornamentis. Non Justificamur, inquiunt, *ullo operum Dignitatis* intuitu. An demum res tota pendet ex beneplacito & *acceptatione* Divina, per & propter Christum, atque hinc efficitur, ut ad Justificationem admittantur opera bona, rejiciantur adiaphora? sed enim seclusâ operis omni dignitate, cur quæso, non possit acceptari aut hoc aut illud? ex parte *operis* nihil impedire constat, nam ab utrisque excluditur dignitas, neque malitiam includit opus adiaphorum; Hinc etiam nec obstat voluntas Divina, quo minùs acceptari *possit* utrumvis, impedit tantùm ne *de facto* acceptetur utrumque. Quinimò aut velle, aut per infinitam naturæ perfectionem *posse* Deum opus adiaphorum ad Justificationem acceptare, nullus, opinor, vel in somnis affirmabit; quod tamen ex Adversariorum hypothesi (nullam scilicet operum dignitatis in Justificatione haberi rationem) omnino concedendum videtur. Si forte dixerint, se suam operibus bonis tribuere præstantiam, sed non qualem *Lex* exigit, (quin multis potiùs à carne inquinamentis maculosam & deformem) proinde ni gratia succurrat Evangelica, Justificare non posse; sed hac indultâ,

placandæ

placandæ legi (*ex parte* ſaltem) ſufficere; metuo ut hinc eximatur ſcrupulus; nam integra ſemper manebit quæſtio, utrùm operum iſtorum quali quali *dignitate* moveatur Deus ad Peccatorem Juſtificandum, necne; ſi enim aliquatenus movetur, tum propter opera (*ex parte* ſaltem) Juſtificare concedant neceſſe eſt; ſi ſecùs, ad Juſtificandum æquè aptum ex ſe erit opus adiaphorum, atque vel optimum, quod neminem, ut dixi, affirmaturum crediderim. Mirum fortaſſe nonnullis videbitur hoc Argumenti, quia novum, nec aliunde mutuum, quo etiam diligentiùs ab æquis Lectoribus excutiendum libentiſſimè trado, imò ut id faciant oratos habeo, & vincat veritas.

Si verò regeratur (nihil enim, quod ſuccurrit, objectionis præterirem, quin potius, quà pro modulo licet, validiſſimè urgerem) ſi (inquam,) regeratur, idem de Fide dicendum; *ἰσοδυναμεῖν* ſcilicet *ex Fide* Juſtificari, & *propter meritum* Fidei, reſpondeo, veriſſimum hoc eſſet, ſi Fides Juſtificaret *abſolutè*, & in ſe ſpectata, *ut opus* eſt noſtrum, nam ſic excluditur cum reliquis operibus, & tantùm in partem *Sanctimoniæ* cum reliquis venit; Sed longè alia eſt Reformatorum ſententia, nimirùm eo duntaxat nomine *ſolam* juſtificare, quòd (ut cum Eccleſiâ noſtrâ loquamur) *nos rectà ablegat ad Chriſtum*, & *per eam amplectimur promiſſionem miſericordiæ*, ut ſuprà, Cap. 3°. interim tamen propter *objecti*, quod per ſolam Fidem applicatur,

valorem, atque præstantiam infinitam, Christi scilicet Mediatoris *Justitiam*, hoc, inquam, sensu *relativo* (non alio) ex Fide nos Justificari facilè cum Apostolo concedimus. Hinc inter *Operantem*, & Credentem χάσμα istud immensum intercedit, *Rom.* 4.4,5.

Paulinæ insuper dictioni consentiens est ubique Ecclesiarum interpretatio, Idem nimirùm esse *ex operibus* Justificari, atque ob valorem, sive *meritum*. Consulamus iterum Eccles. Angl. Homil. de salut. part. 3. *Non*, inquit, *Justificamur ex ullâ virtute, aut operibus nostris*; idem hoc cum eo, quod paullò pòst exegeticè sequitur, *opera nostra non merentur Remissionem peccatorum, neque faciunt ex injustis Justos*; (semper, ut videmus, in negocio Justificationis operibus & pessulum, & seram obdit) hinc & Fidem ipsam, ut merè *opus humanum*, Justificandi munere ibidem arcet; utraque autem ex hoc fundamento, quia cùm imperfectionis utraque redarguuntur, carent *merito*, & sine merito nulla est Justificatio. Ibid. In confessione Bohemicâ (quam suprà laudavimus) dicitur, Homines Remissionem peccatorum consequi *citra ullum humanum opus, & meritum*; si meritum ab opere discretum voluit Confessio, indubiè dixisset citra ullum *Operis* Meritum, non citra *Opus & Meritum*; quod argumento est, Confessoribus ipsis æquivalere prorsus ex operibus Justificationem, & *propter* operis meritum. Cap. 15. *Non per ulla opera*, inquit Confessio *Helvetica*, quo fine affertur

ſertur illud Apoſtoli, *non ex Operibus, ne quis glorietur.* Unde hæc gloriandi neceſſitas, niſi ex operum *dignitate?* quæ illis negari haud debet, ſi vel in minimam Juſtitiæ partem venirent; quò trahunt tamen, qui Juſtificationem *ex Operibus* eſſe contendunt. Eandem eſſe Confeſſioni Saxonicæ mentem, ſi bene perpendatur, conſtabit ex paragr. [*Hìc de particulâ excluſivâ.*] Ne tædio ſimus, ſi quis attentè, animóque veritatis cupido, Confeſſiones Eccleſiarum legerit, nihil illi dubitationis ſubeſſe poterit, quin omnes in hoc conſentiant, Datâ Operum *Juſtitiâ*, declinari non poſſe illorum dignitatem, ſive *Meritum.* Fruſtra itaque (quanquam avidè) arripiuntur loca illa vel Eccleſiæ Anglicanæ, vel alterius cujuſcunque Reformatæ, ubi *ſolâ Fide* Juſtificari Hominem aſſerentes, continuò ferè ſubtexunt, *non propter ullam operum dignitatem.* Nam ſeriò perpendenti cuilibet facile conſtabit, hoc illos eo conſilio facere, ut inter *Ex operibus*, & *propter opera*, ceu illorum *meritum*, in præſente controverſiâ nihil intereſſe doceant, non autem (uti calumniantur Adverſarii) quòd locutione poſteriore [*propter*] rejectâ, priorem [*ex* operibus] amplectantur. Cur enim aliàs breviter dicere recuſarent omnes, Juſtificamur quidem *Ex operibus*, non verò *propter opera.* In quo verò aut antiquo Patre, aut Eccleſiâ Reformatâ vox illa *arrogans* audienda eſt? Paulo itaque, Patribus, & Eccleſiis *Ex operibus* Juſtificari, &

ex Merito idem sunt. Vanum itaque est Adversariorum subterfugium, dum à Justificandi partibus extrudentes meritum, exosculantur opera; quod probandum recepimus.

CAP. VII.

Fons tertius Erroris, Exclusio aliquorum operum, admissio reliquorum, præter mentem Pauli Evidentissimam.

B. Paulus omnia simpliciter opera à Justific. exterminat. Salmeronis σοφὸν φάρμακον *causæ suæ lethiferum. Harmonistæ argutatio pro admissione operum moralium ab exclusione ritualium parum Dialectica; Ejusdem de legis infirmitate paradoxa. Lex data per Mosen secundùm Ipsum pietati ex se inimica. Argumenta ejus ad examen vocantur. Impossibile est Opera Justificare, quia Legis minimè satisfactoria. Respondetur Cavillis. Authoris Aphorismorum sententia de Justitiâ suâ Justificante Evangelicâ diligenter cribrata.*

NOn levem in hoc omnium gravissimo negocio errandi ansam peperit cruda nimis, & angusta operum Paulinorum interpretatio, quasi vir Divinus non *omnibus* Justificandi munere operibus interdixerat, sed *aliquibus tantùm.*

tùm. Hìc autem in varias abitur femitas ; nam 1°. nonnulli opera præcipuè *legalia* (ceu Legi adamussim conformia) excludi volunt ; alii *ritualia* Mosaica ; alii rursus, quæ meræ *naturæ* viribus fiunt, adeoque moralia universa *à Christo. Mediatore divulsa.* Neque dubitandum est, quin horum singula ab Hominis peccatoris Justificatione procul facessere jussit Apostolus. Ille siquidem sine ullis omnino distinctiunculis in Epist. ad Rom. & alibi, *universa* damnat simpliciter, quatenus Justitiæ *coram Deo* partem sibi arrogare audeant, *Si ex Gratiâ, non ampliùs ex operibus, si ex operibus*(his vel illis) *non ampliùs ex gratiâ.*

Verùm iste, dices, sermo ad Judæos pertinet ; sanè, quia ad omnes in *thesi*, ad istos *in hypothesi*, per applicationem regulæ generalis, quæ universum genus humanum complectitur. Nam sive hos, illósve respicias, perinde est ; immota perstabit regula, *si ex Gratiâ, non ex operibus*, ni malimus (quod absit) contra ipsum Apostolum argutari ; si autem regeratur, obtinere Istud in *Irregenitorum* operiribus, non aliis ; frustra, dicimus, provocari ad Regenitorum opera, cum illi sunt jam Justificati, hìc autem quærimus quid antè ad Justificationem requiritur, non quid pòst Justificato ; nihil sanè ad *Justificandum* Virtutis, aut operis Humani, magis quàm ad Hominem jam natum, ut nascatur.

Sed hæc omnia diligentiùs, etsi breviter, excutienda. Et 1°. quod ad opera *Legi adæquata*, & examussim conformia pertinet, certissimum est, Apostolum in suâ contra operum Justitiam dissertatione divinissimâ, peccatoribus, sive Judæis, sive Gentilibus, tam vehementer minime inculcare, ex iis sperandum non esse salutem; cùm & hi & illi, adeóque omnes communi sensu utentes nescire nequeant, ab istâ se Justitiâ perplurimùm deficere. Hoc certè Judæos haud fugit, à quibus tot preces, & sacrificia pro peccatis, imò pro suâ *rerum Sanctarum iniquitate* jugiter oblata: neque Gentilibus eousque suffocata unquam Synteresis (sive Judicium de bono & malo) ut nescirent se Peccatores esse, & consequenter, Legem minimè *adimplere* posse; sciunt enim, inquit Apostolus, *Judicium Dei, quòd, qui ita faciunt, digni sunt morte*, Rom. 1. 32. cur autem digni morte, nisi quia Peccatores? nemo scilicet Mortalium reperietur, qui experiundo non didicit (aut possit saltem) Legem (quod ait Paulus) *debilem esse propter Carnem*, i. e. ob peccatum, quod omnibus radicitus adhæret, debilem esse prorsus ad Justificationem, quo sensu intelligit Apostolus. Absurdum itaque meritò videatur, Scriptorem θεόπνευστον in re probandâ ab omnibus ultrò concessâ tantopere desudare. Interim tamen negandum non est, ad Opera ista *legaliter perfecta*, ex *obliquo*, & argumento διὰ ἀδυνάτου (ad absurdum scilicet cogente) respicere;

Exod. 28. 38.

respicere; hoc nimirum sensu, quòd ex operibus suis quibuscunque moralibus qui Justificationem quærunt, totam debent implere Legem moralem; quod cùm omnes, nisi qui insaniunt, impossibile in hoc statu intelligant, frustraneum erit ex hujusmodi operibus ullum Justificationis aucupium.

Pergamus ad opera *Ceremonialia*; ista quidem à Paulo disertè rejiciuntur à Justificandi munere: cui etiam negocio multùm hìc illic immoratur, quo Contribules suos ab istâ ἐργοδικαιοσύνης insaniâ revocaret, qui plus hujusmodi operibus tribuebant, quàm aliis in Lege morali præceptis, ut verè monuit ex Maimonide Ainsworthus. Quid autem hinc lucrantur ἐργοδιῶκται nostri, nisi probaverint opera ritualia, eáque sola à Justificatione Paulinâ extrudi? At Paulo scopus erat præcipuus opera fugare, quæ ad Legem spectant *omnium* obligatoriam, sicuti constat ex Epist. ad Rom. 3. primis Cap. ubi *totum* probat mundum, quà Judaicum, quà Gentilem, Justitiæ divinæ obnoxium; quod ex lege *Ceremoniali* frustra tentasset, utpote quæ ad solos *Judæos* pertinebat, imò neque ad illos, cùm ista scriberet, sepultis jam cum Christo Ceremoniis.

Unde vicem Salmeronis misereri subit, qui Paulino contra operum Justitiam impetu meritò perculsus, huc tandem fugit, ut opera trifariàm distinguat, ibiq; se miserè perdat; unum, inquit, est *eorum quæ prodeunt in lumine naturæ sine ullâ Fide, quæ nec Justificant*, *Ad Galat. Tr. 11. tom. 15. fol. 40. 41. Edit. Colon.*

Justificant, *nec ad Justificationem disponunt, nisi valde remotè*; quibus opera Legis accensere nihil veretur, quæ, inquit, *sine Fide perficiebantur*, quasi nihil unquam audivisset de Fide Abrahami, suorúmque Filiorum sub Lege, & quòd (saltem omnes omninò Sancti) de Petrâ Spirituali, Christo, biberunt. Secundum genus & tertium illius memoriæ, quo casu nescio, prorsus exciderunt, ita tamen ut fol. 41. (quod in medium antè proferri debuit) paucis subinnuat: opera itaque secunda sunt, *quæ lumine Fidei ante charitatem & Gratiam, ut dispositiones sufficientes ad Justificandum* (haud aliàs) *acceptantur*: quibus annumerat inter alia opera *Ninevitarum* (qui, ut videtur, Fide admodum *Justificâ* pollebant) Tertium, inquit, Genus operum *à Fide, per charitatem operante, prodit, & à jam Justificato, quæ propriè primâ Justificatione non Justificant, quia jam Homo invenitur Justus: augetur tamen, & perficitur in Justitiâ.* Hæc Ille. Vide Lector, quò ducat Veritatis fastidium, nam suis distinctionibus nullam prorsus reliquit nobis Jesuita Operum Justitiam, sed in Hostium
2. Reg. 6. castra, nihil tale meditans, transire cogitur, uti percussi olim cæcitate Syri in mediam Samariã. Sic enim facilè arguitur, si Justificatio sit ex operibus, tum secundùm Salmeronem, vel ex primi, secundi, vel tertii generis (nam hæc omnia Illi sunt opera bona) sed non ex primi generis operibus, *Ipso fatente*; non ex 2[di], quoniam ea tantùm, ut dicit, *præparant* ad Justificationem,

tionem, ut *opera Ninevitarum*, consequenter minimè Justificant; neque demum Justificamur ex tertii generis operibus, Ipso itidem annuente, & hâc insuper additâ ratione, quia *sequuntur jam Justificatum*, Ergo (totus tremo illaturus conclusionem,) actum est de operibus Justificantibus. Interim Jesuitæ haud parùm debemus Reformati, qui opera quæcunque à Fide per Charitatem prodeuntia *minimè Justificare*, *sed Justificatum sequi* nobiscum docuerit.

Verùm hìc sibi Aurifodinam nescio quam invenisse videtur Harmonista, unde Argumentum format contra *Solifidianos*, quos vocat (i. e. *Ecclesias omnes Reformatas*) Audiamus, quæso, P. 282. præcipuè cùm multùm eo delectari videatur, & ad propositum suum *maximè spectare* monuit: sub hâc autem formâ conspiciendum exhibet, p. 283. *Quatenus Paulus opera Ritualia & Externa, ut non necessaria, rejicit, eatenus opera Spiritualia & interna, ut necessaria, admittit, sed opera Ritualia rejicit, ut non necessaria ad Justificationem* (imò certè & ineptissima) *ergo opera spiritualia, ut ad Justificationem necessaria, admittit.* Propositionem, utpote falsam (ne quid de eâ gravius dicam) quî probat? mero quidem *silentio*, quasi principium esset ἀναντίῤῥητον, aut ipsum fortiter asserere esset δὸν demonstrare. Lepida sanè argumentatio, & huic simillima! Subditi *inutiles* arcentùr à Throno, & potestate Regiâ; Ergo *Utiles* admittuntur in

 consortium,

confortium, cùm excluduntur utrique. Sic habet in operibus; admittuntur in *Atrium Sanctimoniæ* bona omnia, à conclavi *Justificationis* tota *Gens* excluditur; & fruftra à Tribu ad Tribum difcurritur, ut opus Juftificum reperiatur; clamant enim fingulæ, furdefcentibus licèt Mortalibus, *non eſt in me.* Sed hoc indubiè voluit (quod omninò tamen in medium fiftere debuerat) *Contrariorum contrariæ ſunt conſequentiæ*, ergo fi *externa* rejiciuntur opera, *interna* admittuntur. Illi tamen fortaffe excidit, quòd Regula ifta de *contrariis* non tenet, nifi ut in fuis formalitatibus *Specificis* fpectantur; proinde jacet argumentatio. Si enim opera *externa*, & Ritualia rejicerentur quà talia, valeret confequentia, ut fi album *quà* album vifum difgregat, nigrum congregat; nunquam tamen fequetur, fi album rejicitur à naturâ Quantitatis, aut Actionis &c. Ideo nigrum admitti debeat. Opera externa quæcunque non rejiciuntur, ut *Externa*, fed fimpliciter ut *opera* humana. Cùm verò in poftfcripto fuo tam ingenuè nos monuit Differtator, opus totum Harmonicum à fe *admodum Juvene conſcriptum*, fine ullo, ut videtur, ætatis maturioris obelo, quid obftat quò minus hoc, cum reliquis fimilibus per totum Librum fecurè volitantibus, *ætati* demus? quod & Ipfe dare videtur in continuò fequentibus, fic enim de fe loqnitur, *Penè autem me facti jam pænitet, quòd immaturum opus tandem aliquando in lucem prodire permiſerim, præ primis*

cum

cùm materia, quam tractamus, & subactiori judicio, & exactiori curâ sit dignissima. Hæc equidem viro bono digna confessio, utinámque seriò tandem recognosceret, adeóque dotes illas, quas ei Deus impertivit, in honorem Gratiæ suæ conferre velit.

Succedant opera, quæ meris *naturæ* viribus fiunt; neque ista tantùm in hoc negocio excludere Apostolum, sole Meridiano clarius est. Siquidem ipsius quoque Abrahami opera exterminat, quæ solis naturæ viribus præstita asserere nemo quisquam audebit. Hinc etiam sequetur ultimò, Paulum non opera tantùm *à Christo Mediatore divulsa* rejicere, ni istis accenseamus opera Abrahami, quod absit, cùm haud semel negat Abrahamum Christo mediatori insitum *ex operibus* Justificari.

Multa quidem perplexè disputat Harmonista de Legis infirmitate, quò Justificationem suam per opera Evangelica ædificet, Dissert. poster. Cap. 10. 11. & 12. nam cap. 10. Super hanc rupem (mere imaginariam) causæ suæ totam ei visum est collocare molem, num. 2. opera scilicet à Paulo exclusa ejusmodi tantùm esse, quæ *sine gratiâ Evangelicâ perficiuntur vi Legis Mosaicæ, vel etiam Naturalis.* Legi autem vim omnem adimit, utpote duplici auxilio carenti, scilicet *promisso* vitæ æternæ, & dono *Spiritûs Sancti*, c. 10. num. 2. Sed totam Ipse disputationem in tam angustum contraxit Conum, ut pene visum fugiat apex Contro-

versiæ; nec satis Ipse sibi constat, quin huc illuc fluctuet; modò aliquid probare velle, modò se refellere (idque perquam studiosè) videtur, ita ut non aliis ferè, quàm suis Ipsius, armis oppugnari necessum sit. Legem hic intelligit merè Jüdaicam, *pactum scil. in Monte Sinai factum, Mediatore Mose, populo Israelitico datum* p. 232. n. 3. Quam sanè legem præclaro hoc elogio ornat, p. 209. n. 4. Lex Mosis, inquit, (i. e. Lex Dei per Mosen tradita) *eo ipso quòd promissa, & minas tantùm temporales continebat, ad ingenerandum Hominibus genium, atque ingenium humile ac sordidum, atque à verâ ac genuinâ pietate plane alienum ex se apta nata erat.* Παϊονέπος ! ore Christiano, ac auribus quàm indignum! Populo suo Deus Legem dedit, quæ (non *per accidens*, & vitio humano, sed) EX SE apta nimirum *nata* erat Hominem à Deo abducere, ut *neque potuerit assiduè orare, Seipsum abnegare, futuram vitam meditari, ab intemperantiâ & avaritiâ abstinere* &c. Uti mox se fusiùs explicare visum est, ne minùs scilicet intelligeretur, p. 210. Hanccine Theologiam appellabimus? certè Calvinismum, quem vocant, omnem diritate superat. Sed me reprimo.

Scripturæ loca, quæ, velint nolint, in partes suas trahere molitur, sunt præcipuè duo; primus est Gal. 3. 21. *Si data Lex, quæ posset vitam dare, reverà ex Lege esset Justitia.* Ergo Lex nullam habuit promissionem vitæ. Consequentia

ſequentia nulla eſt, quia aliud certè eſt promittere ſub *conditione*, aliud dare. Promittit Lex *conditionaliter*, qui fecerit ea, vivet in iſtis; dat autem conditionem præſtantibus, non aliis. Quòd autem nunc dicatur dare non poſſe vitam, id non eſt vitio Legis, ſed *Subditi.* Locus alter eſt Hebr. 7. 19. *Lex nihil perfecit*; Ceremonialem intelligit divinus ſcriptor, uti conſtat ex ver. 11. at ſufficit ſi Gratia Evangelica, quam lex iſta in Solidum reſpexit, perfecit omnia. Non itaque abſolutè, ſeorſim, & *ex ſe* quicquam perfecit, ſed *relativè* ad verum πληρωτὴν, i. e. Chriſtum. Nunc autem carpamus, quos ſibi detrahit, ut nobis largiatur Harmoniſta, fructus.

1°. In vetere Teſtamento fatetur concedi *forſan* poſſe, *non obſcura eſſe futuræ vitæ indicia.* Pag. 216.

2° Omiſſo [forſan] Categoricè aſſerit extare quædam in ipſâ Lege promiſſa *Generalia*, ſive generalibus terminis facta; *in quibus vitam æternam non tantùm contineri poſſe, ſed & intentione divinâ contentam fuiſſe, manifeſtum eſt*; *cujuſmodi ſunt*, inquit, ego ero Deus tuus, & ego Benedicam vobis. Interim, quod Ille minùs obſervaſſe videtur, promiſſum iſtud Gen. 17.7. *ego ero Deus tuus*, factum eſt primùm Abrahamo, qui multò anteceſſit Legem, ſive pactum ſuum *Sinaiticum*: Hìc itaque habemus aut cauſæ cedentem, aut contradictoria aſſerentem; probare nimirùm receperat, *nullam* fuiſſe pro-

missionem vitæ æternæ; hìc contrà de suo quædam expromit: huius autem contradictionis pars utraque vera esse non potest. Nec obstat, quòd promissa sint *generalia*, cùm adjunctum non tollit, sed *ponit* subjectum; si generalia sint promissa, utique promissa sunt: adde, quòd ita sunt generalia, ut sint *manifesta*, fatente Ipso, pag. 217. Ergo Lex habuit promissiones vitæ *manifestas*. Ergo delendum est, habuisse *nullas*; aut saltem diploma proferendum, quo indulta sit ei licentia loquendi, quicquid libet, aiendi, negandi, figendi, refigendi, pro arbitrio.

3. Concedit fuisse sub Lege, qui vitam æternam sperabant, quanquam hoc ad *meliores* tantùm, & *perspicaciores* in populo restringit. Ergo Stylum invertat, ubi scripsit *nullas* fuisse in statu isto, qui dicitur, *legali*, promissiones nisi *temporales*. Alia profectò mens Paulo, 1.Cor. 10.3.4. ubi asserit Patres *omnes* sub Lege eandem manducasse escam spiritualem, eundem bibisse potum. *Eundem*, inquit Augustinus, non invenio quomodo intelligam, nisi eundem quem manducamus & Nos, cumque venerando Patre multi faciunt Theologi, præsertim Scholastici. Imo Textus Ipse Paulinus evincit, ver. 4. *biberunt*, inquit, *spiritualem illam petram, quæ illos secuta est, petra autem erat Christus.* Quomodo autem biberunt, aut Manducarunt Christum, nisi per Fidem? (Ore siquidem minimè potuerunt) eadem utrisque petra,

De utilitate Pænitentiæ, & in Psal.67.

tra, idem bibendi modus; hinc idem *Spirituale* Fædus; eadem itaque utrobique Fæderis promissa, quæ ad hujus vitæ temporanea coarctare, nil aliud esset, quàm phantasmatis nostris fræna permittere. Hoc autem minimè prætereundum, Apostolum non ista loqui de *melioribus* tantùm & *perspicacioribus* (quod in suo Legis defectu priore explicando πᾶν sibi φάρμακον adduxit Dissertator) sed de *promiscuo* Fidelium grege; *omnes*, inquit. Idem pleniùs (si fieri quidem potest) Heb. 4. 2. *Nobis*, ait, *prædicatum est Evangelium*, *æquè ac illis*; non *melioribus* tantùm, sed indefinitè, *Illis*. Hinc itaque sic sponte fluit argumentum; Quibus prædicatum est Evangelium, ij certè promissiones habuere *plusquam temporaneas*, nec status iste caruit *Spiritu*: at Fidelibus sub Lege prædicatum est Evangelium, Ergo, &c. An verò ullâ nititur ratione, *meliores & perspicaciores*, qui talem in cordibus flammam gestarent, nullas inde stricturas in deteriores & rudiores istos ejaculari voluisse? aut si id facerent, irritis semper votis lactatos profecisse nihil? Hoc omnem planè superat (ipsorum quoque *Solifidianorum*) Fidem. Imo (vi quâdam ineluctabili veritatis coactus) Dissertator Ipse *nefas* asserit *tale aliquid cogitare* p. 219. num. 10. Quid autem nobis nunc superest negocii? conceditur, uti videmus, *non obscura esse vitæ futuræ sub Lege indicia*; item *extare quædam in ipsâ Lege ejusdem vitæ promissa*, saltem *generalia*; quin &

multos

multos fuisse viros Sanctos, & Prophetas, quibus alia longè in oculis meta, quàm quæ fluxis hujus vitæ bonis continetur; denique *nefas cogitare Viros optimos sapientiam, quâ ipsi pollebant, aliis invidisse*. Quid, inquam, superest agendum? an ut concedamus promissa Evangelica *distinctiora, clariora, suavitatis & solatii* pleniora (utpote Christo non jam exhibendo, sed *exhibito*? Quis verò id unquam negavit? Sed multum abest, ut hoc alterum largiamur, viz. quæ nobis indulsit Harmonista ullo modo favere Thesi suæ peremptoriæ, his verbis propositæ, *Non Exiguum erat impotentiæ Legis indicium, quòd promissionis ejus, & Comminationes non erant, nisi temporales, & terrenæ*: an thesis ista cum suâ Ipsius Explicatione consistat, per me *Ipse* judicet.

Pag. 229. Alterum quod attinet Legis defectum, quòd nimirum caruit *auxilio Spiritûs Sancti* ex prioris refutatione ultrò corruit. Non audet Spiritum denegare tot istis sub Lege pietatis *Heroibus, Prophetis* & aliis, adeoque omnibus verè

Vide p. 239. tunc temporis in Messiam futurum credentibus; quomodo enim sine *Spiritu* beatiorem

Heb. 11. 13. sperare vitam poterant, imo & *amplecti* promissiones illas Spirituales & æternas? Hoc & Ipse Dissertator postea fatetur p. 239. unde ipso teste, status iste *legalis* non caruit auxilio Spiritûs. Et quanquam hoc ab intermixto *Evangelio*, non à Lege profluxisse statuat, quid inde magni lucrabitur haud video, cùm inde

de ſtatum iſtum haud caruiſſe Spiritu evincitur, contra quod in Theſi aſſerit; unde facilis eſt Solutio loci iſtius præcipui, qui ab eo, ex Scripturâ perperàm intellectâ, in cauſæ ſuæ ſubſidium trahitur. 2. Cor. 3. 6. ubi Lex dicitur *miniſtratio Literæ*; *Evangelium Spiritûs*. Hoc Ipſe de Lege Ceremoniarum interpretatur *ex præceptis tantùm externis & carnalibus conflatâ*, P. 230. cùm ex adverſo omnia tum in ipſo textu, tum quæ circumfuſa conſpicimus, ad Legem reſtringant *moralem*, ſive *Naturæ*, Adamo *primitus* inſculptam. V. 7. Quæ enim alia *Tabulis lapideis inſcripta*, quæ *Mortis miniſtratio* præter Legem naturæ? Hanc autem facilè concedimus, quod ad vitæ æternæ influxum attinet, in ſtatu lapſo ſemper caruiſſe Spiritu, ſempérque carituram, quippe quæ officium ſine ullâ relaxatione exigit tantùm, ad præſtandum vires minimè ſubminiſtrat. Hìc itaque neminem ſibi, quòd ſciam, adverſantem habet Harmoniſta, proinde ſi eum haud ulteriùs perſequamur, non erit *Vadimonii deſertio*. Tantùm rogandus eſt, ut ſe ſibi conciliet, hanc quoque cum ejuſdem explicatione Theſin, vel potius ut abjecto novaturiendi ſtudio (tot incommodis & ſibi & Eccleſiæ onuſto) ad *viam pacis* animum ſeriò adjungat, multóque ducat honeſtius à veritate vinci, quam Erroris Triumphos agere.

Faceſſant itaque à Juſtitiâ coram Deo opera quæcunque, tum *Ritualia Judaica*, tum *Ex-*

terna moralia, & in cortice Legis hærentia, nedum impotentissimæ naturæ viribus disperdita. Scopum quippe multò Sublimiorem proposuit sibi cælestis Pauli acies, ubi toties, non ad nauseam certè nostram, sed ad ravim ferè suam, sonat, personátque NON EX OPERIBUS. Nulla ille opera *humana* (quanquam, ubi suis coercentur finibus, nemo vehementiùs urget, inculcátque) nulla, inquam, ad partem *Justificationis* vel minimam admisit. Ratio autem est, quia quicquid peccatorem Justificat coram Deo, Justitiam habere debet regulæ Justitiæ, i. e. legi divinæ per omnia *parem & conformem.* Talia verò nulla sunt Peccatorum opera, neque Judæorum, neque Gentilium, neque Ritualia, neque moralia, neque Regenitorum, neque Irregenitorum, neque demum quocunque alio nomine censeantur, Ergo coram Deo nulla erit ex Operibus Justificatio. Propositio patet, quia Justificatio Divina, sive ut Actus Dei, est absolutio à sententiâ Legis, quæ nihil nisi mortem vel in minimis delinquenti denunciat, unde necesse habet, ut qui coram Deo Justificatur, parem Legi obedientiam afferat, quæ parem exigit. Assumptum liquet, non modò ex B. Pauli creberrimis argumentationibus, verùmetiam ex communi generis humani sensu. Quis enim nescit, quantâcunque Justitiâ polleat, se peccatorem esse, aut peccatum non esse transgressionem Legis ? *maledictus* est, inquit Lex, *qui non permanserit in omnibus quæ Le-*

gis sunt, *ut ea faciat*; si maledictus, utique benedictus non est, si non benedictus, neque Justificatus.

Quòd autem sic argutatur Harmonista, [Eodem modo Justificamur quo salvamur; At per opera salvamur, Ergo per eadem Justificamur] nullius est momenti. Nam Assumptio toti contradicit Scripturæ; nec Propositio, nisi distinguatur, concedenda. Minori, inquam, cum Scripturâ pessimè convenit, quæ salutis Humanæ coronâ nunquam humana ornat opera, sed Gratiam unicè Divinam. Audiamus Paulum ἀνπλεξεὶ bis eodem capite, *GRATIA estis salvati*: & alibi, *non ex operibus Justitiæ*, *quæ nos fecimus*, *sed secundùm misericordiam suam salvavit nos*; Paulo non suffecit dicere *secundùm misericordiam suam*, nisi procul abactis priùs operibus, quæ alias facilè (pro solenni illorum ingenio) se ingestura novit. Proinde causam salutis exponens, inani operum vesicæ tumorem omnem exprimit hac velut aciculâ, NON EX OPERIBUS. Ut rem in pauca contrahamus, Scriptura *secundùm* Opera *Judicandos* sæpè asserit, *ex* Operibus, *coram Deo* sive *Justificandos*, sive *Justificatos*, nunquam. Inficianti contrarium restat probandum. Paralogismi autem Propositio [Eodem modo Justificamur quo salvamur] confusa nimis, ambigua, & involuta est. Quid enim sibi vult [Eodem modo] cùm non de *modis*, sed de *Mediis*, sive Causis disceptatur, quæ idem certè

Eph. 2. 5. 8.
Tit. 3. 5.

 non

non valent, ſi propriè ſumantur? Media ad rei *Subſtantiam* pertinent, modi potiùs ad *Circumſtantiam*: Sed ne in tenebris (quod amant Sophiſtæ) dimicemus, modus Iſte, quem loquitur, quo aut Juſtificari, aut Salvari dicimur, exponi poteſt, vel ex parte *Dei* Juſtificantis, vel Hominis *Juſtificati*. Ex parte *Dei*, modus quo Juſtificat, & quo ſalvat idem planè eſt, *Gratìs* ſcilicet, & ex miſericordiâ infinitâ, ſic ergo conceditur propoſitio, quod Adverſarii cauſam adeò nihil promovet, ut retro quàm longiſſimè propulſet. Si enim ex *Gratiâ* (cujus Ille ſæpiùs monendus eſt) *non ex Operibus*. 2° ex parte Hominis Juſtificati, ut nempe *Statum* notat, quo Ille Juſtitiam & Salutem conſequitur, ita modus eſt diverſiſſimus, Quippe Ju-
Rom. 4. 5. ſtitiam accipit *Impius*, διαῤῥήδην aſſerente Apoſtolo, Coronam Salutis & Gloriæ, Pius; nam *ſine Sanctimoniâ nemo videbit Deum*.

Neque hoc quidem negare ſolent aut Pontificii, aut qui alio nomine adhuc internoſci malunt, Adverſarii. Largientur facilè nulla peccatorum opera valere ad Juſtificationem *legalem*, quoniam inexorabilis eſt Lex; neque debiti ſui diſpungit vel teruncium; nihil tamen obſtare dicunt, quo minùs opera gratioſè acceptentur; at quouſque Fratres? num ad Juſtitiam in foro Dei Juſtificantem? ſi ſic, abſolvuntur ex operibus ab Execratione Legis; at Lex omnem reſpuit acceptationem, quæ illi debitum haud perſolvit, *plenariæ* ſcilicet &

minime

minimè defectibilis obedientiæ: neque enim dicit, maledictus est cujus opera *mutila* pro integris non acceptantur, sed *maledictus*, *qui non persliterit in omnibus*.

Hìc fortasse subridebunt, qui ad pauca respiciunt, *Scioli* nostri: num hoc, inquient; talis tibi nodus est, ut quos Lex damnat, Gratia absolvat? quid enim? nonne in Politicis idem cotidiè cernitur? Maledicis maledicit Lex humana, *Qui Hominem occiderit*, *qui vi aut Furto spoliârit*, aut his similia perpetraverit, *capite plectitor*, nullâ aut *veniæ* aut relaxationis cuiquam spe factâ: quis suam tamen veniæ prærogativam principi denegavit unquam? Quidni itaque in Lege *divinâ* idem obtineat?

Verùm hoc non est tam contra nos arguere, quam contra Paulum ipsum garrire, qui ita passim Gratiam Evangelii prædicat, ut *satisfactionem* quoque Legi *necessariò* præstandam demonstret; necessariò quidem, si minùs ex naturâ Justitiæ Divinæ, ex Divino saltem *decreto* in Scripturis *promulgato*. Imo cur aliàs factus est Gloriæ Dominus pro nobis *execratio*? cur delicti gratiam non fecit misericors Deus, sine *plenariâ* satisfactione per vadem, Christum? nonne rationem attexit Apostolus, *factus est Christus pro nobis execratio*, *ut redimeret nos ab istâ execratione*, Gal. 3. 13. si ut nos redimeret, ergo haud aliàs redimendos. Hinc arbitror constare quantùm claudicet à politicis ista similitudo: nam 1° Lex humana nullum

 delinquentis

delinquentis loco *vicarium* Caput aut ponit, aut admittit, sed unumquemque onus *suum* portare cogit. Hinc Principum condonatio *simplex* est, & *citra Satisfactionem* offensæ parem, vel à Delinquente, vel ab alio persolvendam. Longè aliter Lex divina, quæ licèt debiti sui ne teruncium demat, ære alieno solutum haud respuit, quod ex eventu satìs constat.

2°. Leges humanæ interdum aut *rigore* peccant, aut multa intervenire possunt, quæ bono Principi Illarum *executionem* temperare, aut etiam impedire rationabiliter persuadeant. At tale nihil in Lege Dei reperitur, cujus omnis rigor est sapientiæ divinæ consentaneus, nec ullus unquam, qui rigorem istum diluere posse videatur, intercurrit casus, quem ab æterno *certissimè* non prævidit Legislator. Quin

Ultimò, Etsi Principes Legum suarum severitatem clementiâ suâ interdum cum Laude moderentur, id tamen sine culpâ non faciunt, ubi justa in Contrarium *antecedit obligatio*, quod accidit sæpissimè, sive ex delicti *gravitate*, sive ex veniæ præsentaneo, legumque capitalium nimis laxandarum constante *periculo*, ceu ex solenni, & maturè cocto, publicóque per præconem facto animi *consilio*, ceu demum aliunde; multa autem (cum reverentiâ loquamur) Deum *antecedenter* obligare videntur, quo minùs peccatori condonet, ni factum prius *Satìs* legi suæ fuerit. In genere ista tria, 1° Legis

Legis omnimoda *perfectio*, & præstantia *infinita*, utpote haud alio latæ, quàm Divinæ voluntatis concilio. 2°. peccati vel minimi in conspectu Dei *summa turpitudo & deformitas.* Ultimò (quódque per se sufficit) voluntatis ejus in verbo *publica Declaratio* in contrarium. Frustra sunt igitur à Legibus humanis ad Divinam cavillæ.

Verùm hìc vir quidam gravis, idemque Theologus obvium se sistit in suis de Justificatione Aphorismis, quibus utinam industriæ, & ingenio parem veritatis *magnæ* reverentiam, & curam attulisset. Distinguit Ille de duplici Justitiâ *Justificante*, *Legis* scilicet, & *Evangelii*, Illam *extra nos* in Christo, istam in nobismet ipsis positam, utramque ex mente suâ satis copiosè ab eo explicatam, à Thesi 17. ad. 26. Quod autem de Justitiâ *Justificante* sermonem pertexit, nullam omnino probationem, nisi ex ipsius calamo profectam exigit; est enim, inquit, *conditio nostræ Justificationis*; ergo *Justificans*; quin & eodem collimat tota Aphorismorum acies.

Sed 1°. nullam prorsus Justificationem *in Foro Dei* meminit Scriptura, præter unam illam, quæ est Absolutio à sententiâ maledictoriâ *Legis*. Lex Spiritûs vitæ, inquit Apost. Liberavit me à *Lege* peccati, & Mortis. Misit Deus Filium suum, ut Justitia *Legis* impleretur in nobis. Christus nos redemit à maledictione Legis; & alia similia quamplurima. Nulla hìc Rom. 8. 2. 4. Gal. 3. 13.

Justificationis,

Justificationis, nisi unius *Legalis*, mentio. *Lex* est quæ prohibet, *Lex* quæ pænam decernit, *Lex* quæ irrogat. Peccatum est transgressio *Legis*, pæna effectus istius transgressionis, Justificatio denique absolutio ab istâ pænâ: Itaque cùm Lex, nisi præstita, neminem Justificat, & præstitam omnes in Christo agnoscunt, aut *Legalis* erit omnis Justificatio coram Deo, aut omnino nulla.

Instare verò quis poterit, Justificationem omnem potius esse *Evangelicam*, quia Lex neque pollicetur, neque offert *remissionem* peccatorum: unde distinguendum erit de triplici Justificationis respectu,

1° Ex parte *Principii*, 2° *Termini*, 3° *Medii.*

Ex parte *Principii*, sive fontis, unde fluit, *Gratiæ* nimirum Evangelicæ in Christo; hoc autem sensu necesse est, Justificationem in statu lapso omnem esse *Evangelicam*: nam Lex, inquit Apostolus, est *Litera occidens*, Spiritus (i. e. metonymicè Evangelium) *Gratia vivificans.* Nihil de peccatorum remissione Lex agit, sed contrà peccanti (vel in minimis) mortem intentat. Hactenus itaque Justificatio omnis est *Evangelica*, non ultra. Quippe

2° Ex parte *Termini* (unde præcipuè sumenda denominatio) legalis est, quia terminatur in *Satisfactione* legi præstandâ. *Liberavit me à Lege mortis* &c.

3° Respectu

3° respectu *medii*, quod est Justitia Christi *legalis* nobis per Fidem imputata. Omnem itaque Justificationem propriè *legalem* esse constat. Et frustra erit, si quis argutatur, neminem tamen ad salutem pervenire posse sine operibus *Evangelicis*, secundùm quæ Judicandos omnes in confesso est; nam facilis est distinctio (quam & Author Aphorismorum alicubi adhibet) inter Justificationem *primam*, sive *privatam*, & *supremam illam*, sive *publicam*, quæ permultùm sanè discrepant, quod alibi ostendimus. In priore sensu nunquam legitur *opera*, quin contrà Deum *non operantem* Justificare, Rom. 4. 5. posteriore fatemur credentes Justificandos *secundùm opera*, non tamen *ex operibus*, neque ut Justificatio illa Justos coram Deo *faciat*, sed tantùm *pronunciet*.

Pergamus; Si detur Justificatio Evangelica in Foro Dei à legali distincta, dabitur quoque peccatorum in utrâque *diversorum* absolutio; nam si eadem prorsus remittit Evangelium, quæ Lex, actum agetur, & duplex Justificatio res erit inutilis ac otiosa: si à peccatis *diversis*, tum Lex non prohibet eadem quæ *Evangelium*; atqui, fatente ipso etiam Aphor. Autore, nullum tale est peccatum, quod Evangelio prohibitum non prohibeatur in Lege, itaque secundùm Ipsum nulla dici debet Justificatio præter *Legalem*.

Rursus, si Justificatio Legalis, & Evangelica sint specie distinctæ, tum *Fora* quoque in

quibus Justificatio peragitur distincta sint, necesse habet; nam aliàs, alterum inane erit, ac superfluum; Entia autem non sunt multiplicanda sine necessitate. Si diversa, tum vel *subordinata*, vel *coordinata*: si subordinata, tum *non pugnant*; consequenter qui per Legem Justificatur, per Evangelium quoque Justificabitur, sicut qui absolvitur in Curiâ *Parlamenti*, eo ipsó in aliis quibuscunque Curiis inferioribus, & subordinatis rectus erit: si Fora sunt *coordinata*, tunc alterum ab altero independenter se habet, sicut Anglicanum ab Hispanico. Unde etiam sequetur absolutum in *foro Legis* damnari posse in *Foro Evangelii*, quod adeò ἀπόλογον est, ut id neminem prorsus affirmaturum credam, Theologi nomen vendicantem. Ictus Consequentiæ declinari non potest, quia in Foris *coordinatis* ad sententiam alterius verificandam non tenetur alterum.

3° Justificationis hujus Evangelicæ usus statuitur, ut *participes* reddamur Justificationis Legalis extra nos in Christo, proinde Justificatio Justificationem applicat, una remissio peccatorum alteram. Verùm hìc multa urgent incommoda: nam ut missum faciam, quòd hic loquendi modus sit auribus Reformatis exoticus valdè & inconditus, sequitur Justificationem Legalem nihil esse præter nudum *vocabulum*, cùm scilicet non applicata quoad *rem*, nihil sit, sicut dicenda non est sanatio per pharmacum quod non applicatur, neque unquam

quam auditum eſt; ſanationem unam applicare alteram.

Hinc iterum, in Juſtificatione Legali præciſè ſumptâ, aut eſt *remiſſio* peccatorum, aut non; ſi nulla ſit, qualis erit *Juſtificatio?* ſi ſit, tum non opus eſt ad eam applicandam Juſtitiâ Evangelicâ, quia jam *facta* ſupponitur applicatio perſonæ Juſtificatæ; aut ſi facta non ſit, tum Juſtificatus non Juſtificatur. Neque hilum juvabit, ſi dicas, non Juſtificari talem per Evangelium, cùm antè probatum fuerit (ſaltem ad hominem) Juſtificatum ex *Lege*, talem eſſe ex *Evangelio*.

CAP. VIII.

Imputata Christi Justitia aut prorsus Explosa, aut secius intellecta, permagna in hoc negocio Erroris causa.

Imputatio Justitiæ Christi, eáque tam activæ quàm passivæ, ab Eccles. Anglic. asseritur. Cl: Andreæ concors suffragium. Aphoristæ Cavilla paucis ventilata. Bellarmini argumentis præcipuis respondetur.

DIci vix potest, quantis hæc preciosissima Christi Justitia (sine quâ mortalium nemo quisquam stabit in judicio) conviciis & sannis excipiatur; hinc Socinianis impetentibus, illinc Pontificiis; quique apud nos sub his aut illis perfidè merentes, Ecclesiæ Anglic. Filiorum nomen sibi vix pudenter arrogant. In pulpitis, in prælis, ubique locorum, personantia loquor. Imò ne quid desit ad Istorum contra nos ornandam simul atque corroborandam sententiam, accedunt *Doctores Illuminati*, Philosophica *Tremulorum* Natio. Hi, scilicet Imputatæ Justitiæ Doctrinam ridiculam, rem [a] *horribilem*, imo [b] *Dæmoniorum doctrinam* (more suo Aulico) salutant, [c] Totúmque Justitiæ operibus adscribunt. Unde (si alia conjecturæ deessent argumenta) in proclivi est Divinare, quibus ista machinis αὐτόματα agantur, & quò faciant. Det illis

a *Pen. Sandie foundation*, p. 25, 30, 31.
b *Id Apolog.* p. 148.
c *Id. ibid. Naylor love to the Lost*, p. 50. 51.

illis reliquísque Deus saniorem mentem, sinceriorem animum. Nos interim ad causam properamus.

De *Imputationis* vocabulo non est ut moras inutiles nectendo (quod multi in rebus evidentissimis solent) Lectori molestiam creemus. *Imputare*, si vocis originem spectemus, nihil aliud est, quàm rationibus alicujus in *computo* adscribere, sive proprium fuerit, sive alienum, sive bonum sive malum. At usus inter Ecclesiasticos obtinuit, ut id tantùm imputari dicatur, quod cùm nostrum propriè, personaliter, & sensu *Physico* non sit, nobis tamen, ut nostrum, tribuitur, sensu nimirum *forensi* ceu politico. Ita Christo nostra * imputantur peccata, nobis illius Justitia. Hæc autem vulgò distinguitur in *activam* & *passivam*, ceu pœnalem; utraque consimilis obedientiæ nomine dignoscitur. De Justitiâ passivâ unâ voce clamant Ecclesiæ Reformatæ cum Scripturis, eam credentibus *imputari*. An Activa quoque imputetur, in diversa abeunt Theologi. Partem verò affirmantem tuetur Ecclesia Angl. Homil. de Salute, part. 1. *Tria*, inquit, *vult Apost. ad Justificationem nostram concurrere: ex parte Dei immensam & gratuitam planè misericordiam; ex parte Christi, Justitiæ divinæ satisfactionem, cum impletione perfectâ & absolutâ legis.* Sed hæc fortasse *bono* nostro, non *vice* nostra. Sequamur itaque ad finem Homiliæ; *Christus*, inquit, *est Illorum Justitia, quicunque in eum verè credunt.*

* Is. 53.4,5,6. 2 Cor. 5.21. 1 Pet. 2.24.

Pro iis morte suâ Lutrum solvit, pro iis Implevit Legem in vitâ, usque adeò, ut homo quilibet Christianus in eo & per eum nunc dicatur IMPLETOR Legis &c. Cui etiam accinit Vir Cl. Ecclesiæ suæ, dum viveret, illustre decus, quem & illius mentem (pro suâ saltem *mediocritate*) tenuisse, nullus, puto, inficiabitur. Haud indigna sunt verba, quæ recitentur. *Quæro*, inquit ὁ πάνυ, *à Pontificiis, cur ad satisfactionem pro peccato imputatâ Christi Justitiâ opus habeamus. Rationem hanc reddit Bellarm. quòd non acceptat Deus in veram Justitiam nisi infinitam, quoniam peccatum est offensa infinita. Nos itidem*, inquit, *à pari arguimus, meritum oportere intercedere infinitum, cùm nihilo minùs infinita sit merces.* Et mox, *Illo* (i. e. ut liberemur à morte) *cur usus erit necessarius sacrificii mortis Christi, pro hoc autem* (nempe ut vitam consequamur) *minimè necessarius oblationis vitæ suæ? aut unde accidit, quòd ad liberandum ab æternâ morte, nil Morte Christi vilius valeret, multo autem minùs ad jus æternæ vitæ largiendum sufficeret? Nonne tantum prorsus requiritur ad Coronam nobis Gloriæ redimendam, ac è tormentis Inferni liberandum? Cur mortem ejus delendo peccato sufficere judicamus, vitam ejus non sufficere, quo nos vitæ consortes faciat?* Hæc Lector (ne quis exoletæ propemodum Theologiæ subiratus de Authore sinistri aliquid suspicetur) non sunt *Calvini* verba (absit !) sed Præsulis *Andreæ* Anglicani. Suo quisque per me utatur arbitrio; Ego cum

Concion de Just. sic.

Scripturis

Scripturis pro virili ſequor Eccleſiam : Eò ſaltem arrogantiæ proruendum non ſentio, ut manifeſtiſſimam hanc Eccleſiæ Doctrinam *in publico* ſugillem *Tranſubſtantiationis portento magis eſſe portentoſum*. Sed iſta & alia hujuſmodi ſeculo demus, quo vivimus, nam *ab initio non fuit ſic*. Poſteri indubiè Parentibus ſapientiſſimis plus ſapimus.

Cùm verò Imputationem hanc Juſtitiæ, præſertim activæ, nemo extra Scholam *Socini* dictatis ſuis acriùs exagitaverit quàm *Aphoriſmorum Author*, idemque omnium manibus teratur, objecta ejus (ceu veriùs Cavilla Sophiſtica) quæ partim ibi, partim alibi venditavit, in lucem clariorem ſiſtenda cenſemus, unde & totius fere controverſiæ proſpectus aptior haberi poterit.

1. Sententiam Reformatorum inde adoritur, quòd ſupponit, uti ait, *nos in Chriſto extitiſſe, ſaltem legaliter, antequam aut crederemus, aut nati eſſemus*; Quam adfert rationem conſequentiæ? ne verbulum ſanè,

ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου;

quaſi Illius eſſet non diſputare, ſed *oracula* fundere, quomodo & aliàs ſæpiſſimè facit. Nos interim facilè reſpondemus

1°, Suam ſuppoſitionis noſtræ ſuppoſitionem Illi minimè eſſe neceſſariam, & ſi eſſet;

2°, Falſam, nec ullatenus conſequentem.

1°. Nulla

1°. Nulla enim in præsente controversiâ cogit *necessitas*, ut hanc nobis suppositionem objiciat: nam sive ita supponatur, sive non, causæ suæ nihil accedit. Si, cùm *actu* credimus, Justi sumus *formaliter* per *Imputatam* Christi Justitiam; hoc unum nobis contra Illum suffecerit. Itaque quod reliquum est, ex abundanti, si liberet, illi largiremur, absque magno aut sumptu, aut periculo.

2°, Nos nihil tale supponimus sensu suo, neque id infert ulla nostra sententia. Nam qualis, quæso, hæc est connexio, Justi sumus per Justitiam Christi Fide imputatam, ergo Justi antequam in rerum naturâ simus? Inveniat consequentiam cui vacat, Ego occupatus sum. Fatemur quidem Fideles eodem modo Capiti Christo ad Justificationem *supernaturalem* insertos, quo ad condemnationem Omnes innascebantur Adamo, cujus universa progenies illi inerat potentiâ, sive *virtualiter*, & quoad *radicem*, idque duplici nomine,

1°, *Naturaliter*, cùm fuerit *primus* omnium Homo & Pater, quo sensu Levi dicitur fuisse multo antequam existeret *in Lumbis Abrahæ*, Heb. 7. Hinc *Filius Adami* pro quovis Homine singulari ponitur, *Psal.* 8. 5. & Adam Ipse multoties.

2. *Legaliter*, quod copiosè explicat Apostolus, *Rom.* 5. quo nomine Adam cum totâ sobole nasciturâ *unam* duntaxat personam constituebat, uti, apud nos *Sponsor* & *Debitor*, *Attornatus*

tornatus & Cliens, *Tutor* & *Pupillus*. Eodem planè modo (allocatis allocandis) Christo insunt Fideles omnes, tum quoad naturam *Cælestem*, & regenitam, cujus Ille *primus* quasi Pater, qui filios suo tempore sibi generat ex *Spiritu* & *semine* verbi ad Imaginem suam; tum quoad derivatam ab eo Justitiam per Imputationem *legalem*, quod passim docent Scripturæ. Nos aliam in Christo existentiam agnoscimus nullam (quod nec ipse nescit) antequam aut *credamus*, aut *nascamur*, uti diximus. Hinc autem quas possit Aphorista, aut quas libet, excitet Tragædias.

Pergit 2°, talem Justitiæ imputationem *neque cum ratione, neque cum Scripturis convenire*: Quam verò rationem intelligit? an Philosophorum *Cracoviensium vanam* illam, *cæcam* & *mutilam*, supra modum *procacem* quoque & tumidam? multùm sanè abest, ut cum tali ratione conveniant *profunda Dei*. Cum verâ Ratione non convenire Imputationem, probet, ubi vacat.

Proximè Scripturam ait de Imputatâ Christi Justitiâ altum *silere*. Quale hoc effatum? Theologi Reformati! Quin ita quoque Bellarm. de Justif. l. 2. c. 7. *primum igitur*. Sed indubiè quæ silet de *Imputatione*, *vociferatur* Scriptura de *Operum Justitiâ in eodem genere causalitatis cum ipsâ Fide*. Silet in Causâ nostrâ non aliter quam *Tuba* in Monte *Sinai*, ubi maxime sonora. Sic enim *silet* decies in uno Capite, *Rom*. 4. ubi vox Græca respondens Imputationi haud pau-

Aphoris. Thes. 74. p. 290.

 ciùs

ciùs reperitur: ea autem eſt λογίζομαι vel ejuſdem familiæ ἐλλογῦμαι; quâ quidem ad *Imputationem* notandam aptiorem mihi fateor minimè ſuccurrere. Quid porrò imputatur niſi *Juſtitia*, ver, 3. 6. 24? Habemus itaque *Juſtitiam* aliquam (quæcunque fuerit) *imputatam*; ſupereſt tantùm, ut *quæ* vel *cujus* ſit iſta Juſtitia conficiamus; *Chriſti* ſcilicet, an *noſtra* Ipſorum; non noſtra, ergo Chriſti. Si noſtra, tum vel Juſtitia *operum*, vel *Fidei*. Illam per totum hunc tractatum ad examen vocamus, atque uti ſpero, convellimus. *Fides* autem minimè nobis imputatur ad Juſtitiam. Nam ſi imputatur, tum vel ut *virtus* aliqua aut opus humanum (Ipſum τὸ Credere) vel ut *apprehendit* applicátque Juſtitiam Chriſti. Non ut qualitas aut opus humanum, ſic enim cum reliquis abeundum eſt in locum ſibi proprium à Juſtificatione remotiſſimum. Si imputatur Fides relativè ſolùm, ut *applicat* peccatori Juſtitiam Chriſti, conſtat profectò Juſtitiam unius eſſe Chriſti quæ imputatur, neque plus valere Fidem ad Juſtitiam, [a] quàm *vacua* manus ad percipiendam Eleemoſynam. In quem ferè ſenſum & Ipſe Coſterus, *Alio*, inquit, *modo intelligitur*, *Credidit Abraham Deo*, *& imputatum eſt ei ad Juſtitiam*, *ut*

[a] *Contrarium ſentiunt cum Socinianis Pontificii, qui nihil imputari volunt niſi Ipſum* Credere.

Bellarm. de Juſtif. L. 2. c. 9. Apoſtolus ipſam Fidem dicit reputari ad Juſtitiam, Fides autem non eſt Juſtitia Chriſti ſed noſtra. nugæ! Juſtitia noſtra ſcilicet imputatur ad Juſtitiam noſtram. Coſter. Enchirid. c. 6. Scriptura dicere vult Fidem Ipſam, quâ Homo Juſtificatur, eſſe revera Hominis Juſtitiam. Qui vero ſecum convenit Coſter loco alio hic citato, expedire labor eſt. Idem de imputatione Fidei, ut opere humano, alii paſſim.

ſignificat

significet Justitiam, quâ Justificatur peccator, non acquiri meritis humanis, sed merâ Christi gratiâ effici, ad eam tamen accipiendam necessariam esse Fidem. Adverte Lector, ad Justitiam, quâ Homo Justificatur, *accipiendam* necessaria est Fides, inquit Jesuita. Quænam itaque est Justitia illa, quam per *Fidem* accipit? *sua*? an aliena, & imputata? Si *sua*, tum vel *Fidei*, vel *operum*, vel alia nescio quæ chymærica Justitia. Si Fidei, tum Fides suam Ipsius, (quam scilicet in manu jam habet) accipit Justitiam, quod absurdum est: si operum, tum Justitia Operum erit *ante* Fidem, neque Fides ampliùs dicenda *Radix & fundamentum* Justitiæ, quod statuunt Patercul Tridentini, Seff. 6. uti aliàs vidimus. Si denique Justitia quæ per Fidem accipitur non sit *inhærenter* Ipsius peccatoris, quid superest, quæso, nisi ut ad Justitiam *alienam*, i. e. Christi *imputatam* ultro confugiatur? Itaque Justitia Fidei *formaliter* & absolutè sumptæ, quæ imputatur, esse non potest (cùm, ut talis, sit *opus* humanum, quod etsi bonum, multis tamen defectibus hiulcum, & consequenter ad Justitiam, quam loquimur, ineptissimum) & relatè ad Christum non est nisi *Metonymicè* Justitia Fidei, sed propriè *Christi* per Fidem in se Justitia vacuam; accipit enim Justitiam, quam non habet: unde sequitur Justitiam, quæ toties prædicto Cap. imputata dicitur, propriè unius esse *Christi*; Fidei, sensu nullo nisi *Metonymico*; quod, si alia deessent argumenta, hoc sa-

tis evinceret, quòd ſcilicet iſta, quam loquitur Apoſtolus, Juſtitia eſt imputata *per Fidem*, v. 24. *Scriptum eſt propter nos etiam*, *quibus imputabitur*, *ſi credamus* &c. At vero Fides non imputatur *per Fidem* (nam ſic idem cauſa eſſet ſui ipſius,) Ergo ſola *Chriſti* Juſtitia imputatur. *Factus eſt*, inquit, *pro nobis peccatum*; *qui peccatum non novit*, *ut nos fieremus Juſtitia Dei in illo:* quem locum divinâ planè paraphraſi illuſtravit Chryſoſtomus : τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν φησὶ, τὴν αὐτοδικαιοσύνην ὄντα &c. *Fecit eum qui peccatum non novit*, *qui Ipſa eſt Juſtitia*, *pro nobis peccatum*, *id eſt*, *ut peccatorem condemnari*, *utque maledicum mori*. *& mox* οὐ γὰρ εἶπεν ἐπόιησεν ἁμάρτωλον, ἀλλ' ἁμαρτίαν &c. non dixit, *fecit peccatorem*, *ſed peccatum*, *ut nos quoque fieremus*, *non Juſti*, *ſed Juſtitia*, *idque Juſtitia Dei.* Hæc autem, uti pergit, *Juſtitia Dei eſt*, *quoniam Juſti ſumus*, *non ex operibus*, *non ex re ullâ*, *quæ vel minimâ labe deturpatur*, *ſed ex Gratiâ.* Hactenus os illud *aureum*; unde obiter Lectori conſtat, quantus fuerit Venerandus ille Pater Juſtitiæ Operum Patronus. Redeo ad argumentum ex Textu, quod ſic formatur :

Quo modo factus eſt Chriſtus pro nobis peccatum, eodem factus eſt nobis Juſtitia (hoc enim clariſſima demonſtrat verborum antitheſis).

Sed factus eſt pro nobis peccatum per ſolàm imputationem, Ergo & Juſtitia.

Si quis dicat, imputari tamen posse Justitiam Fidei, ut nostra est, ad eam quæ nostra non est, *perfectam* scilicet omnibusque numeris absolutissimam Justitiam, uti nimirum Paterfamilias opus imputare potest *dimidium* quasi integrum esset, & plenè consummatum; Respondeo, miserè semper claudicare similitudinem à foro & negociis *humanis* ad divina traductam: Alia longè res est *Forum Dei*, alia Hominis. Potest quidem *Paterfamilias* imputare dimidium pro toto, quia nulla lege prohibetur: sufficit consensus *Creditoris*, & libera facultas bona sua dispensandi: sed Deus Ipse in Foro suo Creditor, Legem tulit *contrariam*, quâ disertè sanxit *maledictum fore omnem, qui non permanserit in omnibus quæ legis sunt, ut ea faciat.* Hìc perfectam videmus exigi Justitiam, quæ cùm in nobis invenienda non sit, quærenda est in eo, qui *pro nobis factus est maledictum*, Gal. 2. 13. quomodo autem Justitia *extra nos* posita, nostra fiat, nisi per *imputationem*, ariolari nequeo.

Ad finem brevis hujusce *dictati*, præfatus Author *mysterium* nobis insinuat, ingenio planè, ut opinor, humano inscrutabile; nostram scilicet de Imputatione sententiam magna Pontificiis in Doctrina Justificationis attulisse contra nos *compendia*; quomodo autem, cum Ipsi explicare non videbatur (quorsum enim rem tentaret impossibilem, & sui destructoriam?) neque refutatione nostrâ dignum censemus. Hoc

solum reponimus, Mysterium μυστικωδέστατον fore, si Justitiæ Christi Imputatæ luculentissimum ex Scripturis præconium, quo *uno* mucrone Justificationis Pontificiæ jugulum perfoditur, tam turpi illorum *Sacrilegio* aut animos, aut quicquam præter immortale probrum adderet. Det veniam vir Reverendus, si damnum istud Ecclesiæ Reformatæ (ab eo in somnis fortasse visum) maximo nos lucro constanter deputemus.

Aphorism.p.47. 3. *Videtur*, inquit, *errorem Deo tribuere, dum in Christo nos reputat antequam nati simus*; Et alibi μάλα τραγωδῶς, Omnes, ait, *cogitationem horrere illam*, quâ Deus mortalium quemvis fecisse (quod nunquam fecit) pronuntiare fingatur. *Præfat. ante lib: Anonymi de Binis Fœderibus.* Imò horrent Orthodoxi *contrariam*, si *fecisse* istud sensu *forensi* sumatur (nam *Physico* sicuti ante innuimus, & *personali* non horrent omnes, sed *rident*) Nunquid *horret* Aphorista has & hujusmodi locutiones, *Mortui, consepulti, à mortuis excitati sumus cum Christo*, cum tamen in vivis nondum essemus, nec proinde (secundùm Illius sententiam) quicquam aut fecerimus, aut passi simus? Et istas tamen locutiones adhibet in verbo Deus. Cavendum est, puto, ne cum Scriptura loqui audeamus. Interim cum primo coincidit hoc dictatum, (nihil enim probare dignatur) quò itaque remittimus Lectorem.

Ibid. 4° Arguit, *Christum facit Imputatio idem solvisse, non tantundem.* Quin sive Idem, sive tantundem,

tundem, hoc loco nihil refert, cùm utriusque dari possit Imputatio.

5° Christum hinc ait *præcepta Legis pro nobis implesse sensu æquè rigoroso, ac pertulit pœnam*; neque vel uno quidem verbulo refutationem adornat. Nos itaque implesse contrà statuimus, & si non implesset, posse tamen imputari obedientiam *passivam*.

6° Sic argutatur, Imputatio *supponit Legem tum ad obedientiam obligare tum ad pœnam, idque eodem tempore &c.* Respondeo; eodem tempore ad utrumque semper obligavit Lex in sensu *diviso*; per *se quidem* & *primariò* ad obsequium, *secundariò* & *per accidens* (ex transgressione) ad pœnam. Hoc in statu solùm *integro*. In *lapso*, peccatorem obligat, tum ad pœnam, (qua fieri non potest ut unquam defungatur Ipse) tum ad *obedientiam*, eámque *perfectissimam*. Nec in obscuro est ratio, quia scilicet nulla potestas (nedum prævaricatio) humana Divinæ Legis obligationem aut tollere, aut vel minimùm laxare queat. Christus utrumque pro Fidelibus præstitit, factus est *maledictum*, quo eos à *morte* & maledictione Legis eximeret; implevit omnem Justitiam, ut vitæ Illis æternæ *Jus* & *titulum* impertiret.

7° *Hinc*, inquit, *irrita fit Christi passio.* Absit: Cur autem? nam *si legem in eo perfectè implebamus, passioni ceu pœnæ nullus relinquetur locus.* Sed quàm facilis est nodi hujus (quem Gordianum putat) solutio! Peccator *duplici* tenebatur

tur apud Deum debito, *officii* nimirum, & *supplicii*; ex illo debuit Mediator *implere* Legem, ex isto violatæ pænas dare. Obedientiæ pars utraque cum alterâ optimè consentit.

8° *Stolidè*, ait, *Imputationis Doctrina supponit medium aliquod inter sontem & insontem, discrimen facit inter Justum, & non Peccatorem.* Stolidè? ô vocis Mollitiem, & Modestiam! O stolidos Ecclesiæ Reformatæ clarissimos Heroas! Sed his ex vitro fulgetris nimiùm nos assuefecit Aphorista, quàm ut eis immodicè percellamur. Aut ignoravit certè, aut scire se dissimulat (quod affine est calumniæ) quid isti statuant, quos loquitur, *stolidi* Theologi. Hi siquidem facilè concedunt remissionem peccatorum, Jusque vitæ inseparabiliter se habere *ex parte subjecti*, nempe Hominis Justificati, quanquam non ex parte *causæ*, sive principii. Licèt enim utriusque sit causa *utraque* Christi Justitia sensu *composito*, non tamen *diviso*; quin ita, ut Justitia passiva imputetur ad tollendam *maledictionem*, activa ad conferendam *vitam*.

9° Eandem hìc cum proximè priori cantilenam canit, Imputationis doctrinam ridens, quòd discrimen faciat inter *ablationem curvitatis*, & *rectitudinem*. Sed aut fallitur, aut (quod nolo suspicari) de industriâ fallit acumen Aphoristæ. Lignum non curvum rectum agnoscunt *stolidissimi*, qui *Lunam* attingere negabunt. Rectum est scilicet, quoad molem & *mensuram* suam, sed ultra

ultra neque rectum, neque *aliquid* omnino est. Rectus est peccator, cui demitur peccati reatus, quoad ipsum nempe *reatum*; non rectus est (nisi diverso *nomine*, & ex alio fonte) quoad vitæ æternæ *jus* præsens, & suo tempore secuturam *possessionem*.

Argutiolæ supersunt binæ aliæ ex priorum refutatione nullo negocio diluendæ. Ut verò mentem Aphoristæ in hac causâ meliùs teneamus, & ex quo *Armamentario* tela sua mutuò acceperit, consulamus in Epistolâ præfatoriâ, quâ librum quendam ornavit *De binis Fæderibus* inscriptum, edit. in 8° Anno 1673. ubi inter *pacis* consilia quæ agitare videtur (quod laudabile sane institutum, si simpliciter & *ingenuè* susceptum) convenire ait num. 2. *Christi personam nostrámque non esse realiter eandem; & consequenter eandem Christi Justitiam utrorumque esse non posse, cùm Accidens unius non possit esse Accidens alterius.* num. 4. Si de identitate *physicâ* loquatur, ubi Christum ait nobiscum eandem minimè personam constituere, mirum esset, si hìc in partes iretur. Sin identitatem vult politicam & *Legalem*, nihil manifestius quàm *Accidens*, *opus*, aut *qualitatem* unius esse posse alterius. Ita cum statuit Jus, *Tutoris & Pupilli eandem esse voluntatem*, eandem *Debitoris* & *Fidejussoris* solutionem, & in similibus. Sed hinc extra omnem dubitationis aleam posuit Aphorista, quò respicit, nimirum ad Castra *Cracoviana*, quódque omnem in-

 de

de Juſtitiam imputatam (*activam* an *paſſivam* nil refert) impugnare neceſſum habeat. Nam quòd una perſona non ſit *altera*, accidens unius, non ſit *alterius*, omnem hæc æquè proculcant Imputationem, à quâ tamen in Aphoriſmis ſtare videri cupit, ut quo nodo teneamus incertum ſit.

De Juſtif. *L.2.c.7.* Superſunt argumenta quædam (ut Ipſe vocat) Bellarmini diluenda, ne tantum nomen imperitos aut fallat, aut terreat. Primum verò quod tam benignè obtulit (etſi præter morem) haud gravabimur accipere; id autem tota fere *Cauſa* eſt (ſic enim Imputationem noſtram peramicè refellit Vir bonus) his verbis, *ſi ſolum*, inquit, *hoc vellent, nobis imputari Chriſti merita, quia nobis donata ſunt, & poſſumus ea Deo Patri offerre pro peccatis noſtris, quoniam Chriſtus ſuſcepit ſuper ſe onus ſatisfaciendi pro nobis, nòſque Deo Patri reconciliandi, recta eſt Illorum (i. e. Reformatorum) ſententia.* O vim Veritatis ineluctabilem! Quid Ipſi quoad ſubſtantiam plus poſcimus? contra nos tamen Cælum Terræ miſcebitur; ídque ab Ipſo Cardinale, quod cum *Ipſo ſentiamus*, (ſi tamen Ipſe ſe intelligat, aut ſaltem ſibi conſtet.) Aſt aliquid indubiè virum ſagacem malè habet, imò nec Ipſe diſſimulat, verbis ſtatim ſequent. *Sed ita imputari nobis Chriſti Juſtitiam, ut per eam formaliter Juſti nominemur, & ſimus, id nos cum rectâ ratione pugnare contendimus.* Hìc urit calceus. O voculam infauſtam FORMALITER!

quæ

quæ tantum ſola excitaſti pulverem in Domo Dei. Juſti ſumus per *imputatam* nobis Chriſti Juſtitiam, ſed eheu! non *formaliter*. At conferamus pauliſper; ſi non *formaliter*, num ergo *finaliter*? hoc à nemine affirmabitur, ut Juſtitia Chriſti imputata ſit *Finis* noſtræ? an *materialiter*? agnoſcimus quidem Chriſti Juſtitiam Juſtificationis noſtræ materiam eſſe, ſed Imputationem ejus *formalem* eſſe contendimus: certè *materia* eſſe non poteſt, cum nulla ejus Forma (quæ omnibus aliis debetur materiis) reperiri queat, niſi Operibus noſtris tranſcriptam velimus quod adeo portentum ſonat, ut refutatione non egeat. An ergo hanc Chriſti Juſtitiam *efficientem* noſtræ vocabimus? Ita quidem Cardinalis Ipſe, *Chriſtus cauſa eſt efficiens noſtræ Juſtitiæ*, ubi reſpondet ad locum Pauli dicentis, Chriſtum *factum eſſe nobis Juſtitiam*, non *formaliter* ſcilicet, ſed *efficienter*. Confunduntur hìc multa, quæ à viro tam erudito accuratè ſeparari oportuit. Quis enim negat Chriſtum Juſtitiæ humanæ cauſam eſſe *efficientem*, tum *authoritativè*, ut Deum, tum *meritoriè*, ut Mediatorem? Deus eſt, qui Juſtificat; Chriſtus, qui Juſtificationem omnem nobis promeruit: ſed hìc quæritur non de Chriſti Perſona, ſed de Imputatione ejus Juſtitiæ. Juſtitia autem iſta ſumitur, vel *activè*, & ſic fatemur, cauſam efficientem eſſe Deum, qui imputat; vel *paſſivè*, ut *noſtra ſit*, (quo tantùm ſenſu hic accipitur) ſic

Lib. 2. c. 10.

ſic autem efficiens eſſe non poteſt, quia Imputari eſt *paſſio*, & Cauſalitas efficientis Actio. Cum itaque Imputata hæc Juſtitia, in nullâ cæterarum tribu ſit reperienda, aut *formalis* erit, aut prorſus nulla. Satis hic moræ fecimus, quam in reliquis brevitate penſabimus.

2° Nullam, qualem Ipſi volumus, vult Imputationem, quia minimè, ut dicit, *neceſſariam: nam ſi eſset*, inquit, *neceſsaria, ideo potiſſimùm, quòd homo poſt Remiſſionem peccati adhuc ſit verè peccator, peccato videlicet tecto, non deleto*, quod ſcripturis *evidentiſſimis* repugnare aſſerit &c. Sed falſiſſima omnia:

Nam 1° etſi cauſam, quam aſſignat, ut *veram* concedimus, ut vel *ſufficientem* vel *præcipuam* negamus; quia ſcilicet Imputatio non requiritur tantùm, remiſſo pecato, ſed ad ipſam *remiſſionem*, eamqúe potiſſimùm; ita tamen ut ob peccati in Juſtificato moram in hac vitâ continuari Imputationem Juſtitiæ Chriſti neceſſe habeat. Quòd autem deleri in Juſtificatis peccatum aſſerit, ſi quoad *reatum* intelligit, cum ſcripturis libenter agnoſcimus, ſi quoad ipſam *exiſtentiam*, illud non Scripturis modò, ſed ſenſui communi contradicit. Deletur quidem per Sanctificationem *inchoatè*, & per gradus in *viâ*; delebitur *ſimul* & uno actu, propriè, & *perfectiſſimè* in *Patriâ*.

Argutatur 3°, Si Chriſti Juſtitia ſit propriè noſtra *intrinſeca formaliſque Juſtitia*, *tum nos æ-*

què Justi erimus, æquè & Salvatores ac ipse Christus (ea breviter plena est verborum ejus sententia) Primùm verò, etsi concedimus Christi Justitiæ Imputationem Justificationis nostræ causam esse *formalem*, nemo inter Nos tam molli cerebro reperietur, ut eam dicat aliter esse nostram quàm ut *imputatam*, & per denominationem *extrinsecam*.

Ad consequentiam primam, quòd tum æquè Justi futuri sumus ac Ipse Christus, *invidiosum* est sophisma; cùm vox *Justitiæ* diversimodè apud nos usurpatur, vel scilicet ut *inhærentem* notat, vel ut extra nos *imputatam*. Absit ut, sensu priore cum Christo, qui Fons est omnis Justitiæ, Ipsi conferamus; si verò Christum intuemur ut *Sponsorem*, & intelligatur Justitia ut opponitur maledictioni Legis, quid portenti, si dicamus nos æque Justos esse (quoad hoc) atque *sponsorem* nostrum; qui, ut talis, *factus est pro nobis maledictum*: ut talis, ab isto per obedientiam ad mortem Crucis absolutus maledicto, unde & nos plenissimè *in Ipso absolvimur*: & sicut nulla Christo condemnatio, nulla pariter *iis qui sunt in Christo, Rom.* 8. Is. 50. 8.

Ad consequentiam secundam, quòd scilicet *nos Salvatores & Redemptores faciat*, ineptia est Bellarmino prorsus indigna. Nam 1° quòd Christus Salvator sit & Redemptor, id constat nullam esse *partem* Justitiæ, sed *effectum*, Christo proprium ac *peculiarem*. 2° Christi Justitia

tia nobis imputata, non *Salvatores* & *Redemptores* facit, sed *Salvatos* & *Redemptos*, ut vel sensui communi liquet; ita ut mirum sit à viro tam erudito tales posse nugas in publico volitare; sed hæc *pessimæ* causæ & *præjudicii* maligna vis est. Unum modò cavillum insuper adiiciemus; *Si per Justitiam Christi nobis imputatam dici possimus Justi, ergo poterit etiam Christus per injustitiam nostram sibi imputatam dici verè peccator, &, quòd horret animus, Filius Diaboli.* Verba sanè quæ auribus Christianis horrorem sonant maximum: Sed desinunt in fumum omnia. Quòd enim sequi ait Christum inde dici posse peccatorem, Paulum Ipsum ad certamen vocat, qui eum, etsi peccatum non novit, docet tamen *peccatum factum pro nobis*, quod paullo grandius quàm Peccatorem sonat (uti ante ex Chrysostomo ostendimus) sed quòd inde Filius Diaboli dicatur, *invidiosissima* est nugatio. Nam talem esse non modò idem est quod esse *sub potestate* Diaboli, sed ejus etiam imperio *parere*, ejúsque *imaginem*, ut Filius Paternam, exprimere, cujus capax non erat sanctissima Christi natura. At pænam subire pro peccatis (quod est *Legaliter* Peccatorem esse) tale nihil horribilis consequentia secum trahit. Hoc enim in se innocentissimum quemque facere, modò res ferat, nihil impedire constat. Sed cum Homo Justificatur, non modò illi imputatur, sed *verè donatur*

&

& communicatur (ut loquitur Ipse Bellarminus) Christi Justitia, cujus etiam natura humana capax est, & quâ maximè perficitur; quod de peccato Sponsori imputato dici non potest. Hactenus autem de Imputatione Justitiæ Christi, *sine quâ nemo unquam aut salvatus est, aut salvari queat.*

CAP.

CAP. IX.

Fons alius erroris ex connexâ operum cum Fide Justificante præsentia ad Operum Justificationem Argutatio.

Fides cum obedientiâ Universali à Socinianis ridiculè confunditur. Harmonistæ ex Paulo diluuntur argumenta. Opera Fidem Justificam præcedentia *justificare non possunt,* subsequentia *multò minùs.*

HÆc quantum inter se diffideant mirum est viros oculatos fugere. Quis enim dixerit *motum* solarem, qui semper connexus est cum *Luce* & *Calore*, efficere lumen in Aere, aut germinationem in plantis? aut vice versa, lucem & calorem ad motum concurrere? Quis humero brachióve rem apprehendi, quia utrumque in eodem corpore conjunctum sit cum manu? *Sua* Fides habet munia, *sua* itidem & bona opera, utraque suis interclusa finibus, utrorúmque tamen ad *salutem* æternam modulo divinitùs præscripto facientia. Unde non obscurum est, quàm ridiculè hallucinentur in Socini scholâ educati, qui fidem cum *obedientiâ universali* crassissimè confundunt, ídque non solùm ratione *coexistentiæ* (quod radice saltem & actu

actu uti loquuntur *signato*, haud gravatè concedimus) sed *co-essentiæ* quoque, ceu ut magis Scholasticè dicamus, in ipsâ *formali ratione:* quorum tamen validissima argumenta in hoc *nihilum* subsidunt, quod Fides & opera bona *coexsistant*, quod Fides operibus vacua nil prosit, & his consimiles nugas nugacissimas. Tali quidem sophismate probare licebit, Cor *universa* esse corporis membra, quoniam sine istis in corpore perfecto nunquam deprehenditur, nec sumptum solitariè quicquam possit ad vitæ naturalis munia. Si quis interim negaret Cor *primum* esse vivens, aut solum esse Spiritûs vitalis & *officinam*, & *Fabrum*, quin potius hepati, pulmoni, lieni, aut cuicunque demum membro corporis diverso istas adscripserit prærogativas, nonne læsæ Majestatis contra vitæ Principem arguetur? mirum utique videri debet hanc Fidei operúmque bonorum identitatem magnum illum fugisse *Gentium Doctorem*, qui in Justificationis argumento tam diversa, imo tam pugnantia, toties, ὡς μάλα γεγωνὸς, pronuntiat. Ut hìc pressiùs & syllogisticè pedem conferamus;

Quod ubique ab Apostolo *opponitur* obedientiæ operum, non erit obedientia vel *universalis*, vel particularis:

Fides autem Justificans sic opponitur, Igitur non est obedientia.

Propositio ex se manifesta est; minorem in antedictis

tedictis abunde probavimus, & Apostolum legenti ubique se ingerit illius veritas. Imò, quò spectat ista nugatio, *Justificamur ex Fide & Operibus*, si Fides Justifica in conceptu *formali* opera *omnia* (ceu obedientiam *Universalem*) complectitur? Cur itaque aut horrent dicere cum Paulo reliquísque *Solifidianis* suis, quod *Justificamur Solà Fide* (cum Fides sit *omnia*) aut cur non audent tum contra *Paulum*, tum contra *omnes* uspiam Scriptores, rotundè profiteri quod Justificamur ex *Operibus tantùm*? Quorsum Coccysmus iste, *Ex Fide, & Operibus*? cum secundùm Ipsos vel hac vel illa Locutione *Totum* actum humanorum (quà Justificationem respiciunt) apertè continetur.

Dicent fortasse, quod Justificationem statuentes ex Fide & Operibus, Fidem ibi sensu *angustiore* intelligunt; non scilicet pro obedientia *complexa* & universali, sed pro *simplice Assensu*, qui sine integrâ obedientia ad perficiendam Justificationem nil valet. Audio; sed cum Fides sic accepta, sit *actus* & *opus humanum* [τὸ Credere] aut in similem nugationem recidimus, vz: Justificamur *ex uno* opere bono, & *reliquis omnibus*, aut nihil obstabit, quo minùs salvâ veritate dicant, *Justificamur ex operibus tantùm*, sicque non Paulum modò, sed Jacobum quoque, sed omnes, imò & se ipsos experientur Hostes; seipsos inquam, neque enim hoc Ipsi audent dicere, quod opera Justificant *exclusâ Fide*: neque tamen (quæ Hominum sunt deliciæ) quod

Justificamur

Juſtificamur ex operibus *tantùm*, unde nugationis ſimul & αὐτοκατακρίσεως manifeſti tenentur Sophiſtæ.

Hic verò rurſus prodit Diſſertator, ex Ipſo Paulo (ἐργοδικαιοσύνης ſuæ acerrimo Hoſte) duo contra urgens teſtimonia ; quæ, ne quid momenti præterire videamur, ad examen vocabimus.

Primum eſt Rom. 2. 13. his verbis, *Non enim qui audiunt Legem Juſti ſunt apud Deum, ſed qui Legem præſtant Juſtificabuntur.* Hinc nimirum Author ille colligit, obedientiam *uuiverſalem* requiri, proinde *Fidem Paulinam* iſtam eſſe obedientiam. Sed toto Cælo erras, Amice. 1º enim videtur ibi Paulus ad Judicium ultimum reſpicere, quod ex verſibus 3. 6. magnam habet veriſimilitudinem, nec igitur ad Juſtitiam in præſente controverſiâ, *originalem* pertinere ſermonem. Demus tamen Juſtitiam & Juſtificationem propriè ibidem ſumi, cum utraque ſit παρὰ τῷ Θεῷ, ſolutionem optimam ex Calvino attulit Ipſe Diſſertator ; hoc videlicet rectà *Judæos* aſpicere, quibuſcum toto iſtoc capite præcipuè res eſt. Hi autem ſtulta Juſtitiæ ſuæ opinione ebrii, Juſtitiam quæ eſt ex Fide magno faſtu conculcabant. Hos itaque Apoſtolus ad Legem *ſuam* rejicit, ex qua ſi Juſtificationem ſomniant, neceſſe ait, ut ad eam præſtandam ſe *fortiùs* accingant ; ſi autem *per omnia* adimpleverint, ſe Juſtos quoque apud Deum ſecurè pronuntient: Verum digito citius ſupremum Cælum tacturos, tum ante, tum poſt demonſtrat; quæ-

dam itaque *extra ipsos* Justitiam quæ Legem præstet. Scopus quidem Apostoli non est extruere quod passim ita *diruit*, ut solo exæquet, viz: Justitiam ex Lege *operum*; sed ut omnes per Legem peccati coarguat, sui Ipso interprete, c. 3. 9. Usus autem Legis ad *Sanctimoniam* spectantes alias diligentissimè tractavit. Neque diffitemur tamen Apostolum, ubi Deum dicit *unicuique redditurum secundùm opera*, *obliquè* & leviter flexo sermone Justitiam *sanctitatis* respicere, uti Justitiæ, quâ apud Deum Justificamur, *fructus* & *testes* certissimos, quò etiam omnes peccati reos convincat, simúlque ostendat Deum Justum nemini debitorem fore, sed unicuique, Judæo, Gentili, redditurum secundùm opera, *ut omne Os obturetur*, & *Justificetur Deus quando judicabitur*.

Interim verò quid hoc ad Harmonistæ Justificationem ex operibus conducat, planè non video; non enim Justificari nos asserit ex obedientiâ *Legali*, sed *Evangelicâ*, multis eâ quidem nævis deformi, *syncerâ* tamen, & quoad partes obedientiæ singulas, sine fuco. Hoc enim perpetuus illi Scopus est ad Cap. istius Epist. 8.

Alter locus aliquantò magis urget. Rom. 6. 16. in quo sanctitatem vitæ ad Justificationem esse necessariam statuere Apostolum contendit, adeóque Fidem Apostolicam (in suâ quasi ratione *formali*) opera includere, ídque ex istis potissimùm verbis, ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην, *obedientiæ ad Justitiam.*

Justitiam. Et quidem per obedientiam non illic intelligi Fidem *Paulinam*, sed potius opera *Sanctimoniæ*, quæ Fidem sequuntur, ex toto Capitis instituto nobis videtur; neque tamen existimandum est virum θεόπνευστον sibi contradicere, quin potius à Justitiâ ad Sanctimoniæ munia delabentem, vocem δικαιοσύνης in alium nunc transferre sensum, quam quo in præcedenti disputatione usurpaverat; ut nempe Justitiam notat *inhærentem*, (sive sanctificantem) quò illic delapsus Apostolus eo sensu commodissimè usurpavit: quo insuper centies alibi adhibitum legitur, ut Mat. 3.15. & 5.10. Luc. 1. 17. Act. 24. 25. & in Epistolis passim. Unde Grotius in loca εἰς δικαιοσύνην interpretatur, in Laudem Justitiæ, i. e. ad declarandam Justitiæ, sive *Sanctimoniæ* veritatem, & Hammondus noster in Paraphrasi hoc modo, *Si traditis vos in servitium Dei, obsequentes illius mandatis, fiet ut servi ejus reputemini*, mercedem quoque eo pertinentem consecuturi, vitam scilicet æternam. Neutri de Justitia *Justificante* videntur exponere, sed de Justitia sanctitatis *inhærente.* Quod autem ibidem urget Dissertator, δικαιοσύνην illic opponi oportere τῷ θανάτῳ, non est, fateor, ab eo aut segniter aut malè animadversum, nostræ tamen interpretationi id nihil officit. Cùm enim alias esse mortis species, præter eam quæ strictè *æterna* dicitur, haud ignoret, cumque peccatum in eodem commate oppositum sit (in *effecto* sal-

tem) *mors Animæ Spiritualis*; postulare videtur ratio, ut Justitia sit vitæ ἀντίδοτον, quatenus in *operationibus* Gratiæ vitalibus exercetur. Sed hoc in medio doctiorum Judiciis expendendum relinquo. Interim vitæ præsentis puritatem ad futuræ Gloriam omninò *necessariam* esse nulli negamus, quam tamen à Justitiâ coram Deo *Justificante* exterminamus. Hic itaque locus, etiamsi ex mente Dissertatoris interpretemur, nihil contra nos facit.

2do, Cum ipsi Fidem *initium*, *radicem*, *fundamentum* Justificationis atque adeo omnium virtutum (quod & Pontificii) statuunt, mirandum est eos opera bona ante vel Fidem vel Justificationem ponere; *medium* scil: aut *extremum* ante *initium*, fructum ante *radicem*, ædificium ante *fundamentum*: si enim verbi gratiâ ponatur Resipiscentia vera & *Evangelica* ante Justificationem, tum vel ponetur ante Fidem, vel post: si *post* Fidem, tum post Justificationem quoque; (alioqui vir *fidelis* non erit justificatus, & sic simili erit (quoad rem) conditione cum *Infideli*, quod neque ratio (vel Adversariorum) feret. Si Resipiscentia ista ponatur *ante* Fidem, tum aut Fides non erit *initium* & Radix Resipiscentiæ, sed è contrà Resipiscentia Fidei, (quo pacto destruunt quod ædificarunt) vel *utrumque* erit alterius initium, quod absurdum est.

Concil. Trid. Sess. 6.

3° Si ex operibus antecedentibus esset Justificatio,

ficatio, tum præmium daretur *operanti*, & Justificatus esset vir bonus ante Justificationem; quorum utrumque adversâ fronte contra Apostolum signa movet, Rom. 4. 5. ubi dicit, Ei verò *qui non operatur* (i. e. nihil boni, nihil unde justificari queat) *sed credit in eum*, *qui Justificat impium* (non pium) *fides sua imputatur ad Justitiam*. Qualem hìc crucem *Operariis* nostris fixit Apostolus! quem etiam (uti videmus) sequitur Ecclesia Anglicana: si enim ante Justificationem (quovis signo *rationis*) unusquisque sit *Impius*, quod disertissimè pronuntiat vir sanctus, vel Justificabitur ex operibus *malis*, vel nullis. Iterum, si Justificatus *nihil* prorsus *operatur* ad Justificationem suam; uti vult Idem Apostolus (τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ) qualis erit ista operum Justitia non Solæcus modò Theologicus, sed aperta *contradictio*! Art. 13.

4°, Operibus Fidei *Justificæ* (i. e. actu *secundo* Justificantis) nihil ipsi tribuunt Pontificii, præter vim quandam *præparatoriam* (ut consulenti patebit, & superiùs, ex Salmerone nominatim, evicimus:) *præparare* autem non est *perficere*, quod vel Rustici intelligunt.

5° et ultimò, Ecclesiæ Anglic. hoc apertissimè contradicit, Art. 13. quæ ejusmodi opera *rationem peccati* habere statuit.

Quod vero ad opera Justificationem sequentia (*bona* quidem, sed *manca*) attinet, ea (primò saltem) Justificare, tam crassa est *Contradictio*, ut

diluere

diluere nil aliud esset, quàm bonas horas malè perdere, & Lectoris nauseam nimis exercere; cum prorsus impossibile est, ut quod Rem sequitur, aut causa sit aut *Conditio quod sit*; *sic enim vel esset antequam esset*; vel non esset quando est. Imo neque Ipsi Pontificii opera quæcunque intra Justificationis primæ (quam vocant) pomæria facile recipiunt. Sed pergendum ad alia.

CAP. X.

Fons alius erroris in hac Controversiâ, male intellecta aut per calumniam Reformatis obtrusa natura Fidei Justificantis.

Fides notionalis, quam nobis obtrudunt Pontificii, Ipsorum, non nostra est. Fides Justifica neque solus est Assensus, *neque quævis* Fiducia. *Definitio Fidei ab Ecclesʃ. Anglic. in Homil. tradita. Est actus propriè* Voluntatis. *Authoris Aphorism. definitio, commodâ explicatione adhibitâ, probatur.*

SI qualem vociferantes objiciunt Adversarii, talem revera fidem ad Justificationem sufficere adstruerent Ecclesiæ & Scriptores Reformati, meritò quidem in Theatro suo *læti sessores* sibi plauderent. Quippe Fidem solent nobis impingere, non nostram, sed *suam-ipsorum*

Ipsorum & *Pontificiam*, *nudum* scilicet *assensum iis quæ divinitus tradita sunt*, uti describit *Catechismus Romanus, & Scholastici ad unum [a] fere omnes. Fatendum sanè est, non hanc illorum esse sententiam, quod hujusmodi Fides ad Justificationem per se sufficiat; oportuit tamen, si mutila sit definitio, proponi magis integram, quæ omnia ad Fidem justificam spectantia complecteretur; quod nudum minimè facere assensum & ipsi nobiscum agnoscunt. At enim veritatis osores *vertigine* agi, & suis impediri tricis novum non est.

Phantasticam insuper, nescio quam, subinde aspergunt Fiduciam, quasi Fidem pro ægri *somnio* aut potius delirio haberemus, unde miros agunt apud *Rudiores* Triumphos; Concla-

* *Edit. Colon. 1622. p. 15.*

[a] *Neque hic tamen perfecta inter Pontificios reperitur harmonia. Abnuit Bonaventura in lib. 3. Sent. Dist. 23. Art. 1. q. 2. ubi Fidem non in Intellectu solo, sed in* Affectione *ponit; in Illo ut* Habitum, *in Hoc, ut* Virtutem. Necesse est, *inquit, ponere quod Fides sit quodammodo in Affectione. Quo fine citat etiam Hug. de S. Victore, De Sacrament. l. 1. c. 3. His verbis,* Duo sunt in quibus Fides consistit, Cognitio & Affectio. In Affectu quidem *substantia* Fidei reperitur, in cognitione vero *materia. Quo nihil puto rectius. & post, Ad esse Fidei Virtutis concurrit Actus rationis simul &* Voluntatis, *quod bene innuit Apost. in Ipsa notificatione Fidei, cum dicit Fidem esse* Substantiam rerum Sperandarum, Argumentum non apparentium, *tangens quod est in eâ cognitionis, & quod* Affectionis. *Quo fine etiam Salmero in Heb. 11. 1. tom. 13. p. 631.* ut scientia virtute Rationis demonstrantis gignitur, ita Fides non demonstratur, sed virtute suscipitur voluntatis Captivantis Intellectum in obsequium Christi, qui illam infundit. *Zachar. Boverius cap. 6. secundi symboli:* Fides quæ Catholicorum est, non in solâ Intellectus notitiâ, quæ tametsi necessaria sit, ea tamen sola non sufficit, sed etiam in duplici *tum Intellectus, tum Voluntatis Actu* constituitur. *Eo quoque spectat Costerus Jesuita, Enchirid c. 4. 9.* Cæterùm Fides, *inquit*, neque Justificat, neque salvat si tantum credas, & contemplatione firmissimâ persuasione divinis verbis inhæreas, nisi Illa etiam perficias &c. *& rursus cap. 6. necessariam esse Fidem*, non nudam illam in Intellectu consistentem persuasionem &c. *Unde videmus Ecclesiæ etiam* Romanæ *Definitiones ad sensum aliquando* Catholicum *trahendas.*

P matum

matum ſcilicet de Lege, de Evangelio, de omnibus vitæ Chriſtianæ officiis, periit omne virtutis ſtudium, conculcata Jura Divina, Humana, omnia, potior iſta Fide Mahumetiſmus; breviter, cælum terræ miſcebitur, ſi Fides hujuſmodi juſtificat. Verùm, Amici, vos vobis parumper reddite. In quos, quæſo, tam acriter intonatis? Aliam longe Fiduciam profitentur Reformati, quàm qualem ipſi pro charitate veſtrâ illis depingitis; & mirum ſane eſſet, ſi hoc quenquam veſtrum latere poſſit. *

* *Audite ſaltem de nobis Ipſius Bellarm. teſtimonium, De Juſtif. l. 1 c. 10. 5.* Adde quod *&c. Ubi poſtquam dixiſſet haud ſufficere, ut quis credat, niſi rectè credat, ſtatim ſubjungit*, neque hoc negare *poſſunt adverſarii, quippe qui Fidem negant eſſe veram, niſi ſit viva*, & fructus bonorum operum pariat. *Fas eſt vel ab Hoſte doceri.*

Quò verò, (miſſis aliorum nugis & conviciis) rem preſſiùs perſequamur: ſciſcitemur primò Oracula Dei (Legem & Teſtimonium) & quid illa Reſponſi dabunt in hâc lite attentè (quod decet) audiamus. Sacra autem Scriptura, Fidei Juſtificantis naturam multis quidem exhibet nominibus, iiſque modò unam, modò aliam animæ facultatem exprimentibus; uti

Primò, Aſſenſum intellectus, cum per notitiam deſcribitur, qualiter apud Prophetam Evangelicam, *notitiâ ſui Juſtus ſervus meus juſtificabit multos, portabit enim illorum iniquitates.*
Iſa. 53. 11. Et Chriſtus ipſe, *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te* &c. Huc etiam redit *Aſpiciendi* me-
Joh. 17. 3.
Iſa. 45. 22. taphora, ut, Aſpicite me & ſervamini omnes fines Terræ, & hujuſmodi. Porro locutiones
Zech. 12. 10. Helleniſticæ ſunt ab Hebræis traductæ, apud quos verba notitiæ *voluntatem* quoque cum affectibus includunt, quod ex aliis Fidei Juſti-

ficæ

ficæ appellationibus è vestigio patebit. nam

2do Exprimuntur sæpissimè Actus Fidei per Joh.1.12.
actus voluntatis & affectuum, cujusmodi sunt Gal.3.27.
recipere, *induere*, *venire*, ad Christum, *desponsa-* Mat.11.28.
ri, *dare se* (in Clientelam) Christo, *inniti*, *fi-* 2.Cor.11.2. 2.Cor.8.5.
duciam collocare in Christo, & siqua sunt simi- Is.50.10.
lia, ex istis autem varia nascuntur Corollaria. Mat.12.21.

1. Ad constituendam Fidem Justificam (prout in Sacro Codice describitur) duo potissimùm necessariò concurrere; 1. ex parte Intellectus, *Assensum notitiæ*, 2. respectu voluntatis, consensum, sive *Acceptationem* complacentiæ. Id ostendunt utrinque Metaphoræ supra citatæ. Hoc est quod alii aliter enuntiant, Fidem esse Actum non simplicem sed *compositum*, & totius Animæ; sicut Itio vel Ambulatio non est unius membri singularis, sed totius corporis. At Actum hunc compositum, i. e. ex binis Actibus specie distinctis (intellectûs nimirum & voluntatis) etsi libenter ferat sermo popularis, metuo tamen ut sustineat rigidior Philosophia, quæ nullam facilè patitur compositionem *Actus* specificam, nisi quæ oritur (non ex binis Actibus, sed) *ex Actu & adjunctâ circumstantiâ*; qualis cernitur in odio *Actuali* Numinis, Gaudio ex malis alienis, & similibus. Cum enim potentiæ distinguantur per *Actus* æque ac objecta, sequitur eundem specie Actum reperiri non posse in diversis specie potentiis, ut Auditum in facultate visivâ, licet in generica sensitivâ locum utræque habeant. Porro Fidem unum

esse Actum *specie* nullus, puto, inficiabitur, proinde unam *formaliter* habere sedem sive subjectum specificum. Sed res facilè conciliari poterit, si distinguatur de gemino fidei respectu, primus est originis *& principii*; alter finis, & *Complementi*. Et Ille quidem Fidei quasi *materiale*, hic Ipsum Fidei *formale* dabit; priore quidem intuitu Fidem sibi suæque familiæ vendicat Intellectus, (utpote ex notitiâ & Assensu conceptam) posteriore voluntas, ut ex *Acceptatione* formatam plenè, & in lucem tutò editam, quod fusiùs in sequentibus patebit.

Inchoativè perfectivè.

2° Ex dictis sequitur pravè definiri Fidem per Actum animæ unum ullum, qui reliquos eò pertinentes excludat, imo qui non inferat: quia etsi *Formaliter* unus tantùm sit Actus, alii tamen ad essentiam ejus complendam requiruntur. Hinc

Jac.2.19. Mic. 3. 11. Mat.7.22.23.

3° Malè definiri constat sive per nudum mentis *Assensum* Evangelio habitum, etsi certissimum, sive per **Fiduciam*, etsi fidentissimam; Ratio est, quoniam Diabolos includit Assensus, Hypocritas Fiducia: unde tali Fidei Actus aliquis alius deesse colligitur, sic enim arguitur, Fides ea quâ positâ non ponitur Justificatio, non est Justifica; sed posito aut Assensu aut Fiducia non ponitur Justificatio, Ergo Fides Justifica non est aut nudus Assensus aut Fiducia. Utriusque Propositionis veritas manifesta est.

**Crassa itaque & invidiosa est Concil. Trident. in Reformatos calumnia, (quam tamen & ex nostris, proh pudor, alunt haud pauci) quod apud eos magna contentione contra Eccles. Cathol. prædicetur vana & ab omni pietate remota fiducia. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 9.*

Neque pro Assensu suffecerit, quod *plenus*,

medio

medio certo & evidente voluntatem ſequacem habeat, ita ut qui Chriſtum taliter cognoſcat non poſſit in eum non credere, eique ſe totum dare: nam quamvis id moraliter verum ſit, in Aſſenſu *practico*, ſecus habet multoties in merè ſpeculativo: quia ſcilicet Intellectus in tali caſu non contemplatur Bonum *practicè*, ceu ut *amplexandum*, ſub ratione *Boni*, ſed tantùm ad cognoſcendum ſub ratione *Veri*. Porrò ad practicum quem loquimur Aſſenſum mentis, unde ſequitur perſecutio voluntatis, duo requiruntur; 1° ut Bonum propoſitum alicujus *interſit*, 2° ut ſit ſaltem quo fruatur, *poſſibile*. Si harum conditionum alterutra deſit, oriri forte poterit levis iſta voluntatis motitatio, quam *Velleitatem* dicimus, non efficax illa ad actionem præparatio, quæ *Volitio* dicitur. Exemplum dabimus, Scit Mercator bonam eſſe Linguarum, Dialecticæ, aut Philoſophiæ magis reconditæ peritiam, quâ tamen ut fruatur nil agit Voluntas, quia *ſuâ* parum aut nihil intereſſe mens judicat. Neque ſi vel maximè interſit, voluntas bonum perſequetur, quod *impoſſibile* conſpicitur, uti Diabolis accidit & Damnatis (extra ſpem vitæ poſitis) qui Chriſtum adeo non amplectuntur, ut ſummo potius odio & invidiâ miſeri proſequantur; quem tamen ita cognoſcunt, ut ſummo aliàs in pretio habere poſſent. Non omnem itaque Aſſenſum Bono ab intellectu habitum, etſi cum certitudine & evidentiâ conjunctum, ſequitur voluntas; unde palam eſt,

 quod

quòd ad naturam Fidei constituendam per se (talis saltem) non sufficit Assensus. At

2°. Si Intellectum positis omnibus ad agendum requisitis vèl promptissimè sequeretur voluntas, sui tamen utrique facultati Actus integri manent *formaliter* atque invicem discreti. Neque enim propriè aut *vult* unquam Intellectus, aut *Intelligit* voluntas.

3° Hinc itidem tutò arguatur Fidem Justificam, *formaliter* sic dictam, Actum esse *Voluntatis*, non Intellectûs. *Formaliter* inquam, non simpliciter *exclusis* actibus Intellectus, sed necessariò *præsuppositis*, sicut in omni actu voluntatis morali, qui de mentis licèt consilio semper peragatur, non tamen mentis Actus dicitur, sed *Voluntatis*. Huc enim 1° ubique faciunt S. Scripturæ loca, quæ per Actus *veniendi*, *amplexandi*, *recipiendi*, *Fiduciam collocandi*, Fidem designant; quæ omnia ad voluntatis provinciam pertinere constat. Imo & Actus istos mentales *cognoscendi*, *intuendi* &c.) Voluntatis quoque Actus includere ex Hebraismo paullo ante monuimus. Et

2° Probatur ratione: Cum Actus & motus secundùm Aristotelem re idem sunt, omnis autem motus specificè distinguatur per terminum *ad quem*, necesse est, ut Fides illius facultatis sit Actus, non unde incipit, sed in quâ *terminatur*: At verè in voluntate terminari constat, i. e. in *acceptatione* fiduciali Salvatoris Christi, Ergo Actus erit voluntatis.

Hinc

Hinc 4° facilè conſtiterit Tragœdias iſtas de Fide, quam tuemur, Juſtificante excitatas, aut Sciolorum vaniloquia, aut malevolorum puras eſſe putas calumnias. Non eo quidem inficias (quod & vehementer lugere ſoleo) nihil propemodum à quibuſdam Reformantis minùs accuratum, quàm fidei ſalvificæ deſcriptionem, ita tamen, ut qui in iſtis paululum dormitare videantur, in explicatione ſatis evigilent. Viros autem ſobrios & veri amantes haud decet de *voculis* pulverem jactare, ubi conſtat de re.

Quin audiamus 1°. Eccleſiam Anglicanam, Homil. de Fide part. 1. *Fides*, inquit, *non tantùm eſt aſſenſus generalis Fidei Articulis habitus, ſed vera in miſericordiâ Dei Fiducia per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Quam quidem definitionem fuſiùs per totam Homiliam habemus explicatam, unde facilè colligitur

1°. Fidem ex Eccleſiæ noſtræ ſententiâ actum non eſſe ſimplicem, qui dicitur, ſed aliquo ſenſu compoſitum, ex *Cognitione* ſcilicet & *Fiduciâ*; tum, quando horum neutrum neceſſariò alterum complectatur (quod paulò ante perſtrinximus) attexuit differentiam fiduciæ juſtificæ *conſtituentem*, ubi *veram* definit, ſolido nimirum Evangelii *fundamento* nixam, non adulantis phantaſiæ filiam, cum verâ *pænitentiâ* (quoad habitum intellige) conjunctam, uti in Homiliâ ſe explicat; cum hac autem deſcriptione ſatis illa convenit Rever. Aphoriſtæ Theſ. 69. Fides, inquit, eſt *ſincera Chriſti acceptatio, ut Domini*

mini & Servatoris unici. De Genere convenit; neque de Differentiâ altercabimur, ſi ſano ſenſu (quo exhibet Eccleſia) intelligatur. Scriptura quidem Fidei *formale* ponit in *Voluntate*, (uti modò oſtendimus) *Materiale* verò in aſſenſu Mentis; dicitur enim ab Apoſtolo *Receptio*, ſeu potiùs *Acceptatio* Chriſti, Joh. 1.12. ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν. λαμβάνειν certe aliud aliquid quàm nudam indicat *notitiam*, conſenſum ſcilicet *efficacem* ſive actuoſum voluntatis, qualis nimirum in contractibus *conjugalibus* reperitur; qui non ſolo mentis aſſenſu perficiuntur. Cum verò Chriſti *Sacerdotis* & *Domini* ſive Regis munia, licèt eadem ſemper & indivulſa *ſubjecto*, ſuis tamen *formalitalibus* ab intellectu ſeorſim collocantur, neceſſe eſt, ut juſtificatio, quæ ex ſolâ *ſatisfactione* Chriſti oritur, non *dominio*, quæque conceptu ſuo formali non in *Mortificatione* peccati, ſed in *non imputatione*, ſeu peccatoris abſolutione continetur, pro objecto quoque *primo* & *formali* Chriſtum ſacerdotem ſive ſervatorem habeat. In reliquis conceptibus Chriſtus, fateor, eſt objectum Juſtificationis ut *Quod*, ſive materiale, ut *Servator* tantùm & *Sacerdos*, formale, ſive ut *Quo*; hoc eſt, (ne cui forte terminorum *Scholaſticorum* ſpinæ tenellos lædant pedes) etſi Idem Chriſtus ſit *Dominus* & Sacerdos, Totúſque in Juſtificatione recipiatur, Totus tamen omni ſenſu, i. e. omnium promiſcuè Munerum intuitu, ad Juſtificationem *formaliter* minimè requiritur, ſed tantùm quâ

Sacerdos

Sacerdos & Legi *satisfaciens*. Quid enim aliud est Justificari, quàm à legis maledictione liberum absolvi? & quomodo ab ista maledictione absolvimur, nisi per *satisfactionem* Christi? Quî autem pro nobis satisfecit Christus, nisi ut magnus ille *Saserdos*, simul & *Victima*, qui *vice nostrâ* se morti obtulit, *Sempérque vivit ut intercedat pro nobis*? Ut *Propheta*, docet; ut *Rex*, mandat; ut *Sacerdos* tantùm, Deo reconciliat. Ad exercitia *Sanctimoniæ* necessaria pertinent munus *Propheticum* atque *Regium*; magnum illud Justificationis privilegium propriè & *formaliter* ab unius *Sacerdotis* sanguine (Fonte illo aperto Judæ & Hierosolymæ) derivatur.

Hoc autem manifestò indicat prædicta Homilia his verbis, *Certissima & viva fides Christiana est, non solùm omnibus credere à Deo in Scripturâ revelatis, sed seriâ atque intentâ in Deum fiduciâ, quòd nostri curam habeat, sicut Pater liberorum, quódque Servatorem nostrum Christum, unicum habeamus* Advocatum & Sacerdotem, *Cujus unius meritis, oblatione, & intercessionibus, confidimus offensas nostras perpetuò ablutas, quandocunque pænitentes ad eum revertimur.* Nullam hìc videmus Christi mentionem, nisi ut *Sacerdotis* & Advocati. Adjecit autem Homilia conditionem [Quandocunque *pænitentes* ad eum revertimur] vel ad peccata *futura* prospiciens, ad quorum remissionem necessariam esse *pænitentiam* nulli diffitemur, vel ad fiduciam hanc salvificam à simulatâ omni aut teme-

re arreptâ secerneret; non quasi pænitentia verè Evangelica in ipsum *Justificandi actum*, sicut Fides, influat, uti ex Homiliis Cap. 3. palam fecimus.

Cum hoc itaque grano salis nihil impedit quò minus prædictam Fidei definitionem Aphoristicam complectamur, brevem utpote, & ab actu Fidei maximè *specifico*, ac *completorio* deductam, sacræ demum Scripturæ consonam; quod scilicet, *acceptatio sincera sit Christi, ut Domini & servatoris unici.* Hoc autem si animo rectè teneatur, facilè difflantur calumniæ adversus Reformatos suprà memoratæ, omnésque in nihilum abeunt de Fide apud Jacobum liticulæ, quod Cap. ultimo fusiùs patebit.

CAP.

CAP. XI.

In quo ostenditur Justificationis hujus ex Fide & Operibus consarcinatæ cum Pontificiâ peramica conspiratio.

Doctrina de Justif. per Fidem solam primus Papismi malleus. *Authoris Aphorism. Justificationis suæ, tanquam à Pontificiâ remotæ, defensio minimè satisfactoria: Ostenditur in omnibus convenientia. Aphorista seipsum refutat. Ejus* παρὰ φάρμακα, *sparsim. Novum ab eo confictum* Originale peccatum.

SI quis attentè & æquâ veritatis lance rem expenderit, ad Papatum ex orbe Reformato (uti par erat) *exsibilandum* nihil fecisse magis facilè comperiet, quàm apertum Doctrinæ *Justificationis Paulinæ* thesaurum. Hinc scilicet *nundinis* quibuscunque Pontificiis (toto quidem orbe Terrarum multò olim maximis & fructuosissimis) ea statim *mercatorum* infrequentia, is *mercium* contemptus. Hinc stultæ *peregrinationes* cum suis peregrinis in exilium actæ, hinc insana illa in imagines explosa profusio, ridicula simul & *blasphema* sanctorum (sæpe & *non sanctorum*) *Assentatio* pudefacta desiit, & Idola ubique solum verterunt. Ex hac accensa Lampade pulsa quæ Terram cooperuit,

densissima caligo, suúsque Evangelio restitutus honos. Unde ex adverso facilè consequetur, ad Pestem istam Orbis & perniciem quasi postliminio revocandam, nihil posse excogitari efficacius, quàm amicum circa Justificationem cum Romanensibus *Syncretismum*. Proinde non est ut mirentur Operum horum Justificantium *Institores*, si hoc etiam nomine contrà eos pro causâ Reformatâ diligentiùs excubemus.

Conatur quidem Rev. Aphorista sententiam suam ab istius contagii *suspicione* immunem præstare; sed hoc tam *languidè*, tam *paucis*, tam *festinanter* agit, ut pensum istud sibi minimè placuisse quivis perspiciat.

Aphor. Thes. 76. Explic.

Verùm ne Invidiâ quenquam temerè onerare (quod ex animo horremus) cuiquam videamur; convenientiam alterius cum alterâ Justificationis ad sua primùm capita revocabimus, mox per singula probaturi.

1°. Itaque Justificatio utraque (*Pontificiam* loquor, & quam tanta animi apud Nos contentione propugnant *Novatores*) ex Justitiâ *inhærente* est (sive ex operibus humanis) eáque solâ: quam Justificationis *Evangelicæ* vocabulo passim designat Aphorista.

2° Utraque Justitiam istam Evangelicam (quam Aphorista *Justificantem* vocat) ut *medium* quoddam communicandi *Legalem* statuit.

3° Ab utrâque Justificatio cum sanctificatione confunditur.

4°. Utrique Charitatem cum Fide in Consortium

fortium Justificationis attollunt, eámque *Formam* Fidei constituunt.

5. Utrique demum *verbo tenus* excludunt *meritum*, Re amplectuntur. Quid autem in Justificatione Pontificiâ sit mágis Pontificium, ignorare me fateor. Hoc itaque probandum per singula Convenientiæ descriptæ membra; Résque facilis est negotii.

1° Utraque horum Justificatio est ex Justitiâ *inhærente*, non extrinsecus per Fidem solam imputatâ. Hoc utique *Centies* ab Aphor. Authore conceditur; quin eatenus urgetur, ut sententiam ex adverso militantem (quæ tamen *Ecclesiarum est omnium Orbis Reformati*) inter monstra *Antinomismi* collocare, utque planè *intolerabilem*, adeoque *blasphemiæ* contiguam damnare nequaquam exhorruerit. Fatetur quidem alicubi Christum esse *Legalem* nostram Justitiam; cum verò omnem ludibrio habeat *Imputationem* (uti fusius ostendimus Cap. 8,) palam est, quod alterâ largitus est, alterâ abstulisse manu. Quomodo enim Christus erit Justitia nostra nisi *imputata*, nulla capit ratio; Imo quî ullo sensu ex mente Aphoristæ, non teneo, quippe qui *Accidens* unius (consequenter autem *Justitiam*) esse posse *alterius* apertè negat; quo quidem *dictato*, si verum sit, omnem concidere imputationem necesse est. De Pontificiis nemini non constat. Ut alia mittam innumera, suffecerit ista Concil. Trid. Seff. 6. c. 16. Clausula, vz: *Quæ enim Justitia nostra dicitur, quia* Thes. 20. p. 109.

 per

per eam nobis inhærentem Justificamur &c. Imò usque adeo (secundùm Illorum mentem) *exundat* hæc Justitia, ut non sibi solùm sed *aliis* quoque ad salutem prosit. Prodesse quidem Fisco Papali, quin & privatis Sacerdotum, & Monachorum Loculis norunt omnes, & magno suo dispendio sensere semper haud pauci.

Sed unde constabit aut hos aut illos Justificationem peccatoris Justitiæ tantùm *inhærenti* tribuere, cum merito Christi (quod in uno Christo, non in nobis esse constat) partes in hoc negocio aliquas utrique conferant. Legalis nostra Justitia *extra nos est*, nimirum Christus, inquit Aphorista. *Si quis dixerit Homines sine Christi Justitiâ, per quam nobis meruit, justificari, anathema sit*; ita boni *Tridentini*. Et hoccine, inquient, est *omnia* Justitiæ inhærenti dare? apage *calumniam!* nos autem, apage *fucum!* &

Aphor. Thes. 18.

Sess. 6. Cap. 16. Can. 10.

Quære peregrinum vicinia rauca reclamat.

Aureos habemus Justitiæ Christi promissos *montes*, en semper *muscam operum!* nihil enim aliud (quod diligenter notandum est) utrique volunt, quam *meruisse Justitiam Christi, ut nos Justificemur ex operibus*, sive per Justitiam *inhærentem*. Ita Tridentini, ubi supra. Sic enim integra fluit sententia, *Si quis dixerit homines sine Christi Justitiâ per quam nobis meruit Justificari, aut per eam ipsam formaliter esse justos, Anathema sit.* Per quid ergo formaliter? per Justitiam

Justitiam scilicet *inhærentem.* Meruit nimirum Christns, ut nos Justificemur *ex nobis*, i. e. ex operibus nostris; pulchrè, nihil supra. Ecquis verò Rev. quoque Aphoristam accedere crediderit? Audiamus (si tamen auribus nostris tutò credendum sit) Præfat. in Lib de binis fæderibus, num. 4. Et Aphor. thes. 7. p. 47. nullam vult ille imputationem Justitiæ Christi præter hanc, Quod *per illam Justificamur ex fide & operibus*: quoniam scilicet Accidens unius alterius esse non potest. Utrinque convenit Justificationem *formaliter* sumptam solis deberi *operibus.* Christi quidem Justitia erit Causa *Meritoria, & sine quâ non*: *formalis* in solidum nostra. Cum enim hujus effecti causam aliquam *formalem* esse necessum sit, nec eam volunt Justitiam esse *Christi*, sequitur omnino Justitiam esse peccatoris *propriam* & *inhærentem.* Hic itaque, quicquid contra fingatur, Ovum Ovo non est similius.

2°, Pars utraque operum Justitiam (sive *Evangelicam*) *medium* facit applicandi Legalem, sive meritum Christi. Et quidem Author Aphor. in hæc verba. Justitia, inquit, novi Fæderis (intelligit Justificantem) *unica est tum Juris nostri sive tituli ad Justitiam Fæderis antiqui, tum illius potiundæ conditio.* Quid hìc accinunt Pontificii? eandem planè cantilenam. Audiamus Tridentinos, ubi supra. *Etsi ille* [Christus] *pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen ejus beneficia percipjunt, nisi ij duntaxat, quibus meritum*

Thes. 19.

Sess. 6.

tum

per eam nobis inhærentem Justificamur &c. Imò usque adeo (secundùm Illorum mentem) *exundat* hæc Justitia, ut non sibi solùm sed *aliis* quoque ad salutem prosit. Prodesse quidem Fisco Papali, quin & privatis Sacerdotum, & Monachorum Loculis norunt omnes, & magno suo dispendio sensere semper haud pauci.

Sed unde constabit aut hos aut illos Justificationem peccatoris Justitiæ tantùm *inhærenti* tribuere, cum merito Christi (quod in uno Christo, non in nobis esse constat) partes in hoc negocio aliquas utrique conferant. Legalis nostra Justitia *extra nos est*, nimirum Christus, inquit Aphorista. *Si quis dixerit Homines sine Christi Justitiâ, per quam nobis meruit, justificari, anathema sit*; ita boni *Tridentini*. Et hoccine, inquient, est *omnia* Justitiæ inhærenti dare? apage *calumniam!* nos autem, apage *fucum!* &

Aphor. Thes. 18.

Sess. 6. Cap. 16. Can. 10.

Quære peregrinum vicinia rauca reclamat.

Aureos habemus Justitiæ Christi promissos *montes*, en semper *muscam operum!* nihil enim aliud (quod diligenter notandum est) utrique volunt, quam *meruisse Justitiam Christi, ut nos Justificemur ex operibus*, sive per Justitiam *inhærentem*. Ita Tridentini, ubi supra. Sic enim integra fluit sententia, *Si quis dixerit homines sine Christi Justitiâ per quam nobis meruit Justificari, aut per eam ipsam* formaliter *esse justos, Anathema sit.* Per quid ergo formaliter? per

Justitiam

Juſtitiam ſcilicet *inhærentem.* Meruit nimirum Chriſtus, ut nos Juſtificemur *ex nobis*, i. e. ex operibus noſtris; pulchrè, nihil ſupra. Ecquis verò Rev. quoque Aphoriſtam accedere crediderit? Audiamus (ſi tamen auribus noſtris tutò credendum ſit) Præfat. in Lib de binis fœderibus, num. 4. Et Aphor. theſ. 7. p. 47. nullam vult ille imputationem Juſtitiæ Chriſti præter hanc, Quod *per illam Juſtificamur ex fide & operibus:* quoniam ſcilicet Accidens unius alterius eſſe non poteſt. Utrinque convenit Juſtificationem *formaliter* ſumptam ſolis deberi *operibus.* Chriſti quidem Juſtitia erit Cauſa *Meritoria*, *& ſine quâ non: formalis* in ſolidum noſtra. Cum enim hujus effecti cauſam aliquam *formalem* eſſe neceſſum ſit, nec eam volunt Juſtitiam eſſe *Chriſti*, ſequitur omnino Juſtitiam eſſe peccatoris *propriam* & *inhærentem.* Hic itaque, quicquid contra fingatur, Ovum Ovo non eſt ſimilius.

2°, Pars utraque operum Juſtitiam (ſive *Evangelicam*) *medium* facit applicandi Legalem, ſive meritum Chriſti. Et quidem Author Aphor. in hæc verba. Juſtitia, inquit, novi Fœderis (intelligit Juſtificantem) *unica eſt tum Juris noſtri ſive tituli ad Juſtitiam Fœderis antiqui, tum illius potiundæ conditio.* Quid hìc accinunt Pontificii? eandem planè cantilenam. Audiamus Tridentinos, ubi ſupra. *Etſi ille* [Chriſtus] *pro omnibus mortuus ſit, non omnes tamen ejus beneficia percipiunt, niſi ij duntaxat, quibus meri-* Theſ. 12. Seſſ. 6.

tum

tum Passionis ejus (quod legalis est Justitiæ) *communicatur.* Quî autem communicatur? *per Opera* scilicet Evangelica, uti ibidem definitur. Eadem fere utrinque verba; eandem quis non agnoscit verborum sententiam? Unde haud obscurum est, Utrisque Homines esse Justos Evangelicè prius quàm eis Christi meritum applicetur. Quippe *medium* licet *intentione* posterius, *Executione* prius est Fine, sicuti pharmacum Sanitate. Etsi *coram Deo* Justi audiunt (vel quovis signo *rationis*) ante Justitiam Christi applicatam, Justi erunt *sine Christo*, quod delirium Pelagii sapit, & Bellum toti indicit Evangelio. Sed de binis istis, quas vocant, Justificationibus, quámque nullo nixæ fundamento inter se committantur, superiùs egimus, cap. 7.

2° Utrique *Justitiam* Justificantem cum *Sanctimonia* confundunt. Hoc de se negat vir Rev. nam postquam (nec immeritò) quæsierat, quid inter suam intersit Justificationem & *Pontificiam*, respondet (inter alia) more suo Laconico, *Illi Justificationem cum sanctificatione confundunt, ego verò aliter*; verbum non amplius addit; utinam sanè pleniori vacasset Responso, nam valdè metuo ne hìc quoque nimium consentiant. Quippe si tam *Justificatio* quàm sanctificatio sit *ex operibus* (quod Ipse toties concedit) *indubiè* confunduntur. Quid dicunt amplius Pontificii? quid minus Ipse? si ad Justificationem recurrat *Evangelicam* parum proficiet. Sic enim

3° Confundit

1° Confundit Sanctimoniam cum Justitiâ *Evangelicâ*, neque

2° Procedunt ultra *Romanenses*; non enim eò fatuitatis hactenus devenêre, ut Justitiam *legalem* cum *Evangelicâ* suâ & *inhærente* confundant. Optimè igitur inter utrosque convenit.

Duo fateor ab eo pòst superaddita; Illos nimirum (i. e. Pontificios) operibus *Evangelicis* hoc tribuere, *ut Justitiam inhærentem à Deo mereantur*. Sed aut error hic est Typographi, aut mirum profert sensum, Justitiam scilicet *inhærentem* (seu Evangelicam) *mereri Justitiam inhærentem.*

Alterum, quod Illi Opera volunt esse *partem* Justitiæ nostræ *Legalis*, at Ego (inquit) *Evangelicæ*, ejusque tantummodò *partem.* Subtiliùs hoc quam veriùs, nam utrisque *meritum Christi* est Justitia *Legalis*, utrisque *medium* tantùm communicandi Evangelicam, (quod superiùs probavimus:) neque tam stolidi sunt Pontificii, ut Justitiam suam inhærentem *Salvatòris meriti* partem faciant. Quod autem dicit se *partem solummodò* facere Justitiæ Evangelicæ, necesse est igitur, ut partem alteram constituat *Fidem*, sicque Justitiam illam compleat universam. At illi Fides, & opera justificant *eodem genere causalitatis*, Ergo pariter se habet Fides in Justificatione ac reliqua *opera.* Huc itaque redibit sententia, Justificamur ex omnibus operibus, inclusâ Fide; unde nihil magis tribuetur Fidei in negocio Justificationis quàm cuilibet *Aphor. 74.*

 alii

alii aut *operi* aut *virtuti*, (quod Ecclesiam Anglicanam statuere calumniatur Harmonista) cur itaque Justificari nos non asserit ex *Patientiâ*, aut *Fortitudine* Christianâ &c. Et hoc continuò σοφὸν φάρμακον adhibeat, *Ego virtutes illas partem solummodò Justitiæ Evangelicæ constituo* ?

4°. Pars utraque Charitatem in *partem* Justificationis cum Fide rapit, imò & Charitatem Fidei *Formam* constituit. Priorem hujus Convenientiæ clausulam, cum adeò sit notoria, probare supervacaneum, pro hâc nimirum Helenâ tam acriter contra Ecclesias Reformatas utrinque pugnatur. Quod verò Charitas sit *Forma*
Vide Scholast. passim. Fidei Scriptores Pontificii constanter & ubique personant, nec alia mens est *Novatoribus* nostris, qui ex Jacobo potissimùm Charitatem (sive bona opera) idem volunt præstare Fidei
Harmon. Apostol. Dissert. poster. cap. 2. quod Corpori *anima*, sive Forma. Hic itaque jungatur dextra dextræ.

5° Et ultimò operum meritum *verbo tenus* à Justitiâ utrinque excluditur, Re ipsâ fovetur. Privatos quidem Doctores Pontificios multa de *merito* (præsertim Congrui) garrire negandum non est; sed audiamus *Ipsam Magistram*, his
Concil. Trident. Sess. 6. verbis, *Nibil eorum quæ Justificationis Gratiam præcedunt Justificationis Gratiam promeretur* (nulla hic *meriti* ullius exceptio) quo fine citatur locus iste Pauli (Operum Justitiæ *Malleus*) *si ex operibus non ex Gratia*, & vice versâ. In quam Concilii Definitionem ita Salmero in Galat.

Disput.

Disput. 10. tom. 15. *Illud*, inquit, *hìc tantùm occurrit considerandum*, *à Concilio Trident. meritum Justificationis excludi. Nam nec Ipsam Fidem*, *neque reliquas dispositiones illam promereri asserit.* Et *intellige*, inquit, *merita condigna*, *sive Justitiæ: nam merita congruentiæ sive decentiæ quæ soli Dei liberalitati nituntur*, *multi agnoverunt.* Hæc Ille. Meritum itaque *condigni* omne, fatente Jesuitâ, facessere jubent Tridentini: sed nec ridiculum de *Congruo* meritum includi, ex apice ullo Conciliari probatur; neque hoc dissimulat Ipse Salmero; vide enim quàm timidè ad hoc accedit, quasi Assem Elephanto porrigeret, cum suo [*multi agnoverunt*] non dicit, *agnovit Concilium*; non, *agnoscunt bona pars Catholicorum*; & *multos* Istos qui agnoscunt nominare pudet; unde insuper hoc *Congrui* meritum non admodum ei placuisse colligamus. Nec meritum, cùm ad Contradictionem usque sit Ineptia, Res adversissimas con-

Sed paulò altius canit Frater Costerus, & verbis quidem magnificis, Enchirid. c. 6. p. 249. Causa, *inquit*, meritoria Justificationis Impii nulla est, vel in ipso Impio, vel in ullis aliis, ceu viventibus Hominibus, ceu Sanctis in Cælis cum Christo regnantibus (ubi jam *THESAURUS Iste in Cælis Ecclesiæ ex Sanctorum meritis? qui tantus perhibetur, ut ipsos quoque sacculos in quibus reconditur facilè disrumpat*) *Rationem addit Jesuita*, quia, *inquit*, nulla omnino Creaturæ Opera, nullæ Pœnitentiæ, nulla martyria, nullæ pœnæ, nulla virtus potest mereri cuiquam Peccatori remissionem peccatorum suorum: peccatum enim quod ex infinitâ majestate offensi Dei infinitam malitiam contrahit, non nisi per infinitum meritum potest deleri. Quod infinitum meritum in solis Christi Operibus, & perpessionibus, ob infinitam divinæ personæ dignitatem cernitur, non autem in ullâ actione, aut merito creaturæ. *Stetisti, COSTERE, in Limine Veritatis, ô si intrasses!*

fundens, *meritum* ſcilicet Humanum; & *Gratiam* Divinam.

Videmus utrinque ſaltem verbo tenus, ut diximus, Explodi *meritum*. Valde tamen metuo ne re ipſâ utrique amplectantur. Ex Ipſorum certè utrorumque Principiis nimium habebimus ſequacem iſtam Concluſionem, quod & ſuprà probavimus. c. 6. De Eccleſiâ tamen Rom. aliundo conſtat, quòd Filios ſuos de *merito* ubique ad ravim perſtrepentes pro ſummâ matris Indulgentiâ, nunquam vel nutu *increpat*, *ſilere* nunquam jubet.

Hiſce non obſtantibus, Aphoriſmorum Author nobiſcum ei convenire in ſummâ rei nobis perſuadere ſatagit, quaſi ſcilicet in *minutioribus* tantùm luderet diſcordia. Convenire ait num. 8. quod opera externa *Sequantur* Juſtificatum; neque antecedunt Juſtificationem *initialem*. *Habitus* itaque bonos, ſive virtutes Evangelicas intelligit ad Juſtificationem neceſſarias, non effecta illorum *Externa*. Hìc fateor cum eo Convenire Reformatos. Imò & ulterius, quod operum bonorum omnium *habitus* ſimul cum Fidè infundantur. Horum itaque *coexiſtentiam* facilè concedimus, *juſtificam* eum Fide ſocietatem pernegamus. Rationem ex ſcripturis & Eccleſiæ noſtræ Homiliis irrefragabilem ſuprà dedimus. c, 3. 6. &c. Actum non agam.

In Præfat. Commendat. ſuprà memoratâ.

Num. 11. *Fatentur* inquit, *omnes Judicii proceſſum fore ſecundùm opera*: Rectè, id enim ſæpe docent Scripturæ, at *ſecundum* opera & *Ex* operibus

ribus valdè diversum sonant. Illud enim favorem notat *gratuitum* Dei, hoc *meritum* aliquod, sive dignitatem operis, quod antè probavimus. Et quidem phraseôs perpetua mutatio, si quis attendat, hoc satis evincere videatur. Cur enim nunquam dicimur justificari *secundùm* Fidem, sed *ex* Fide? nunquam *Ex* operibus (coram Deo) sed *secundùm* opera? non est somniandum à Spiritu sancto, ista temerè tam diligenter discreta. Sola nimirum Fides eam, quâ justi reddimur in conspectu Dei, Justitiam *apprehendit*, nullus hìc reliquis virtutibus debetur locus.

Interim tamen in hujus Argumenti delectu haud satis sibi cavisse videtur Aphorista, sic enim fluat necesse est; Ex iisdem justificationem (quam vocat) *initialem* habemus, ex quibus *supremam* in die ultimo Judîcii habituri sumus; sed *ex operibus* ultimò justificandi sumus, Ergò. Et quæ, rogo, ista sunt opera? planè *Externa*, & in sensus incurrentia, non habitus; sed habituum exercitia, uti constat ex Matth. 25. *Ægrotabam, & me visitâstis, nudus eram & vestibus induistis* &c. Ergo Justificatio 1ma consimiliter est ex operibus *externis*. Hinc autem omnino oportebit, ut datum modò (nisi forsan in Autolyci manum inciderit) de novo sibi repetat, ubi concessit nobiscum opera *externa sequi Justificatum*. Ægrè siquidem nobis persuaderi patiemur, ut *quod sequitur* Justificatum, quenquam justificet. De hoc, ubi vacat, viderit.

Num. 13. Fervet opus, ubi in hoc quoque consensum agnoscit, quòd non sit humanis operibus *fidendum*, quòd *non ad Dei Tribunal urgenda, imò potiùs abjicienda, adeòque toto pectore aversanda.* Ista quidem haud invitus audio. Sed ita ferè lassus à persequendâ *Operum* Justitiâ Bellarminus ad quietem sponte delapsus est in suo TUTISSIMUM. Interim Ego nullam video rationem, cur sua Ille *Opera* tam bona adeò duriter tractaret. Quid enim hoc portenti? *Abjicienda & toto pectore aversanda* ea, unde Justificamur? Ecquis læsæ majestatis reus *abjicit, summòque odio prosequitur* Gratiæ Literas à Principe indultas? quod autem ait *non urgenda* esse ad tribunal Dei, causam suam ab imis *evertit.* Hinc enim apertè sequitur, opera non justificare coràm tribunali, seu in *forò Dei.* Quod enim justificat, tutò potest (imò & debet) urgeri ad tribunal, ubi Reus sistitur, ni potius *Felo de se* audire malit. Verùm id erroris ingenio condonandum est, ut suo sibi mucrone jugulum aperiat.

Neque vel minimus in Justificatione suâ *Evangelicâ* ab hoc incommodo receptus ei dabitur. Nihil enim reponere proderit, Ideo non urgenda opera ad *Tribunal* Dei, quia non justificant *legaliter*, sed tantùm Evangelicè. Semper enim ad eundem reditur scopulum. Si enim opera non sunt urgenda in *foro Dei*, constat in *eodem* Foro minimè Justificare, cui contrariam Ille tuetur ex professo sententiam.

Num. 1?

Num. 1. *Deteſtamur*, inquit, opera *uti finguntur Gratuitæ Dei miſericordiæ adverſa* (& nonne idem accinunt Pontificii ?) Ipſi vero ſubſumimus, at opera *Juſtificantia* humana non *finguntur*, ſed *re ipſâ* omnino ſunt Gratuitæ Dei miſericordiæ adverſa, Ergo opera talia non ſunt ullo in pretio ad Juſtitiam (nedum in *deliciis*) habenda. Aſſumptum probat Apoſtolus, (loco toties citato) *Si ex operibus non ex Gratia*; Quin & demonſtrat ratio Apoſtolica Antitheſin, Quippe opus *humanum* non eſt aut opus, aut *affectio Divina*, nec vice verſâ; ergo quod alteri apponitur in negocio Juſtificationis, alteri detrahatur neceſſe eſt. Uſque & uſque agnoſcimus Ipſi plurimùm abeſſe ut opera humana *adverſentur* Gratiæ, *loco*, *ordine* & *finibus* ſuis contenta, ſed ut in locum Juſtitiæ noſtræ *apud Deum* veniat opus ullum aut hominum aut Angelorum (Angelo illo fæderis θεανθρώπῳ ſemper excepto) plus illi debemus Gratiæ, quâ Juſtificamur, quàm ut eam tam vilem in Salutis negocio cum operibus noſtris ſocietatem ſuſtinere velle mentiamur.

Mox *deteſtanda* pronuntiat opera, quæ pugnant cum *Sacrificio*, *obedientiâ*, *&* *merito Chriſti*. Idem & pro ſe Pontificii : ſed talia ſunt opera quæcunque in Juſtificationis partem vel minimam vocata; ſunt itaque deteſtanda. Aſſumpto nihil clarius : pugnant cum ſacrificio & merito Chriſti, quoniam ex *perfectiſſimo* faciunt *imperfectum*, cui aliquid nimirum ex operibus

humanis

humanis affuendum eft, ut inde homo jufiticari dicatur.

Convenit quidem, uti ait, num. 18. Gloriam *mercedem* effe operum (hoc enim ubique perfonat in fcripturis) folius tamen *Gratiæ* non *debiti* mercedem, proinde ex operibus nullam effe in confpectu Dei Juftificationem, five *primam*, five *mediam*, five omnium *fupremam* tutò concludimus.

Sicque ftrictim percurrimus, quæ ex iftâ fuâ Præfatione (toties citatâ) præfenti inftituto aut illius aut noftro infervire cenfuimus. Unum verò prætereundum non cenfeo, licèt ab hoc Argumento magis alienum videtur, eftque *novum* quoddam inter *noviffima*: Præfatorem fcilicet (nefcio quo fortunante Mercurio) aliud inveniffe *peccatum originale* multò citerius, quàm quod ab Adamo traductum eft. O cæcos antè Theologos, quicunque unquam fuiftis!

Seriò interim monendi funt juniores, ne temerè Illius Theologiæ, talia Paradoxa parturienti, fidem habeant. Deus novit me nullo in perfonam viri Rever. aut *æftu*, aut *præjudicio*, nedum *odio* (cui ex animo fanè faufta & fælicia precor omnia) hoc monitum injicere; fed amore veritatis uno, utque fatis confcientiæ fiat, ita liberâffe animam. Quin & Apologiam noftram fuis Ipfius verbis, (valde quidem (quod Illi folens eft) Chriftianis Emphaticifque habeat, *Medel. Diffention. Ecclefiaftic.* Reg. 25. p. 141. Oportet, inquit, tam miniftros

nistros quam Fideles privatos supra laudem æquè ac vituperium πῦν αὐθάδων (*selfe conceited*), etiamsi *piorum* Hominum prius assurgere, quam sequi Christum idonei fuerint. Causam, si bona fuerit, fortiter defendite : quicquid impensarum evenerit, id olim omne de suo *numerabit veritas.* Si Hominibus *quibuscunque* contrà, quam Deus jubet ac *Conscientia*, placetis, Illorum servi estis, at servi amplius Christi non estis, Gal. 1. 10. Nec ullibi figetis pedem, quin potius (ut Luna) mutabiles ad Censorum suffragia *circumrotati* eritis. Quod si verborum Veritati simul ac sobrietati adhærescitis, pars utique *Piorum temperatior* vobis addent aliquando animos, quique vertigine laborant, eorum multos ad partes vestras ducet *Pænitentia.* Hæc vir Rev. Et digna sane verba, quæ omnium animis tam *tepente*, tamque *versatili* seculo infixa altè hæreant.

Unum duntaxat à me, ídque peramicè (Deus novit) rogandus est, ut seriò apud Deum & conscientiam suam se excuteret, quo ista scripserit consilio, quæ occurrunt Ibid. Reg. 421. Supponit (inter alia) quæstionem nasci de Definitione JUSTIFICATIONIS, *Fidei*, addito &c. (nec dubito quin *Imputatam* quoque Christi Justitiam incluserit.) Quos hic asciscendos vult Duces? Adverte Lector, Hic inquit, *Theologorum* pauci, qui bene docti, & pollent judicio (*a few well studyed, Judicious Divines*) *Authoritati*, & *plurimum* suffragiis anteponendi ; *quemadmodum*

madmodum vel unus aliquis, cui viget oculorum acies, melius, longiusque videt, quàm mille, quibus hebescit magis. Rogo, inquam, probe se excutiat, ut secum sciamus, quem quibus in Doctrinâ Justificationis anteponat: quis unus Ille *oculatus*, & ὀξυδερκὴς, *qui mille myopes.* Et quem tandem status sive *minorennis*, sive *precarii* finem habituræ sint magnæ Veritates Dei, ut ab Hominum *suffragiis* aliquando pendere desinant, Deúsque (ut cum Tertulliano loquar) DEUS sit. Eum spero à Papismi contagione tutum & immunem; utinam verò diligentiùs apud se perpenderet, quam bellè sua *operum* Justitia cum Papali conveniat. Certè ut mihi saltem videtur (dijudicent alii) si facilis non sit utrisque eadem,

Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

C A P.

CAP. XII.

De Reconcilatione SS. Pauli, & Jacobi, ἐναντιοφανούντων.

Authoris Aphorism. vanæ ex Jacobo minæ, veræ ex Paulo nostræ. Lex mira Harmonistæ de Jacobo Pauli interprete. Nulla inter Apostolos discordia, de eâdem neque Fide, neque Justificatione differentes.

VEniamus nunc ad ultimam, eámque gravissimam, in hac Justificationis materia Erroris Ansam, ἐναντιοφανὲς illud inter binos illos Apost. Paulum & Jacobum. Ex Jacobo miros passim agunt triumphos Pontificii cum suis Parasitis, præsertim ex Cap. 2. comm. 24. in quo scilicet *nostram sententiam* διαῤῥήδην *damnari*, Illorum approbari volunt his verbis, *Videtis quòd ex operibus Justificatur Homo, non ex Fide tantùm.* Verba quidem diserta sunt: sic & Illa quæ Deum Spiritum esse dicunt, eíque nihilominus oculos & aures ascribunt. Scilicet ex *sensibus* expendendæ sunt voces, non ex *sono*; distinguendi autem sensus *Literales* à Figuratis, Figurati quoque à diversè figuratis, quod non solum in Elementis suis docet Rhetorica, sed Humani quoque generis ratio, et sensus communis indicat; Brutum itaque *Fulmen* intorquet

 Aphorista,

Aphor. Thes. 75. Aphorista, ubi ait, quod verba S. Jacobi *tam disertà terrorem nobis incutere debeant, Interpretationem Textui contrariam afferentibus.* Ain' verò Vir bone? Nósne terrebit Jacobus à nobis reverà stans? & ubi vobiscum facere videtur, tota (illa quæ vos ita capit) in *verbis* tantùm Imago cernitur, iisque pauculis *& ex occasione* tantùm introductis? Téque, Tuósque nihil movebit Paulus contra vos ex *Cathedra* definiens, intonánsque; quin & obviam vobis in viâ, velut Angelus Domini Balaamo, stricto se mucrone sistens, NON EX OPERIBUS; *Quicunque*

Eph. 2. 9. *vestrum Justificamini ex operibus Legis, excidistis*

Gal. 5. 4. *è Gratiâ; Christus nihil vobis proderit.* Israel qui sectabatur Legem Justitiæ, *eam minime apprehendit; quare? quia quærebant eam non ex Fide sed veluti ex operibus.* mirum est his & hu-

Rom. 9. 31, 32. jusmodi *fulminibus* verè terrificis vos adeo nondum humi prostratos, ut potius quasi tot crepitacula puerilia securi rideatis.

Quod autem asserit Harmonista, *Paulum ex Jacobo interpretandum, non ex Paulo Jacobum*, id sane quàm iniquum sit, nemo facile non perspiciet. Quid enim? numquid interpretandus est Scriptor ullus (sive sacer, sive quem dicimus, Profanus) qui *disertè*, qui *multis*, qui ex *industria* Quæstionem pertractat, ab eo qui *obiter*, & ex *occasione*, & *paucis*, & *subobscuris* eadem in summo tantùm delibat? Atqui sic res manifestò habet inter Paulum & Jacobum. Illius scilicet *negotium* est per tota septem Capita

prima Epist. ad Rom. per totum fere caput 3. ad Galatas Justificationem Fidei *exclusis operibus* astruere, hoc, inquam, illi purum putum *negotium* est. Jacobus verò Justificationi suæ vix *unius* capitis *dimidium*, idque *occasionaliter*, ut diximus, impendit. An ergo, si comparatio instituenda sit, Paulum ex Jacobo interpretandum viro cuipiam sobrio (nedum docto, & attento *Theologo*) rationi consentaneum videbitur? fieri vix potest, quia pugnat cum omni *Interpretationis Lege* (in sacris maximè) quæ exigit, ut *obscuriora* ex *luculentioribus*, *pauciora* ex *pluribus*, *partes* ex *toto*, denique in *transitu*, & *per occasionem dicta*, à plenè & *ex professo* ventilatis, lucem accipiant.

Sed age rem istam deliberatò expendamus; & præmittatur 1°, etsi magna sonet inter sanctissimos & θεοπνεύστους Apostolos in *verbis discordia*, nulla tamen aut est aut esse potest in *Sensu*. Alter quidem Justificari hominem *Fide sola* ait, *absque operibus*: Alter *in terminis* hoc ipsum negat; uterque quod veritatis est asserit, uterque ex ejusdem sancti *Spiritus* dictamine, uterque demum cum altero optimè consentit. Ratio est; quia neqire *de endem Fide* neque *de eadem* Justificatione in utroque fit Sermo. Non 1° de eadem Fide; nam Paulus de *Fide vera* & *Justificante* semper loquitur (quod in confesso est) Jacobus de Fide ementitâ, sive *mortua*, quæ Assensum, sive *notionalem* & in solo cerebro torpentem, sive *hypocriticum* & in sola conversati-

onis cute nitentem complectitur. Hoc autem negare non potest Aphorism. Author, qui Fidem vere describit *Acceptationem Synceram Christi*, sic enim arguitur, Fides, de qua Jacobus agit, est *infructuosa*, mortua, communis Homini cum *Diabolo*, at Fides Justifica talis non est, Ergo non agit S. Jacobus de Fide Justificâ. Assumptum probatur, *Acceptatio Syncera* Christi non est mortua, non est communis *Dæmonibus*, Fides autem Justificans ex mente Ipsius Aphoristæ, talis est Acceptatio, proinde diversissima est ab istâ Fide quam increpat Jacobus. Minore nihil evidentius. Unde Idem facile deprehendat, quam temere se mirari dixerit, Jacobum minimè terrifacere diversimodè ab eo Interpretantes. Quid enim hoc loco nostrâ interest sermo de Fide *non Justificâ*? cur usque adeo percellendi sumus iis quæ ad nos nihil pertinent? cum Ipsi haud minus quàm Aphorista Fidem, quam depingit Jacobus, Justificare pernegamus, eámque cum Apostolo flocci facimus. Jam tandem, uti spero, mirari desinet.

Sed ne hoc aut vi rapere aut gratis accipere videamur, perpendendus est D. Jacobi textus, ubi ex *primâ* omnium periodo (unde in hanc materiam de Justificatione delabendi occasionem sumit vir sanctus) colligendum videtur, de quâ Fide loquatur, de Fide scilicet *simulatâ*, & saltem in *assensu rationali* consistente; sic enim fluit, *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, non autem habeat opera? potest ne Fides*

eum

eum servare? Fides *illa*, reddit Beza, quanquam sit ἡ πίστις simpliciter in textu; nimirum ad sensum, non ad verba respexit; fateor tamen ejusmodi versiones, non facilè adhibendas, nec gravi suo cavere periculo. Absit, ut vel cum minimâ sacro textui injuriâ veritatem tuemur. Utut sit, locum satis copiosè, satis Theologicè explicavit vir doctissimus. Perspicuum est Apostolum de Fide quadam *labiali* tantùm agere; Quid si *dicat* aliquis se habere Fidem? non dicit, quid si *habeat.* Unde palam est eo loco sermonem institui de Fide falsò *jactabundâ*, *notionali*, & hypocriticâ, non de verâ illâ quam tot ubique Elogiis meritò ornavit Paulus.

Quod idem plenius ex versibus proximè sequentibus evincitur. Viz. 15. 16. *Si frater aut soror nudi sint, & destituti quotidiano victu, dicat autem aliquis vestrum, abite in pace, calescite & saturamini, non tamen dederitis* iis &c. Manifestum de eadem fide sermonem procedere, Fide scil. *labiali* tantùm, & *infructuosâ*, qualem non esse Fidem Justificantem ab omnibus agnoscitur. Rursus ex com. 19. Fides, de quâ loquitur Apostolus, communis est cum homine *Diabolis*, quam Justificantem esse, neque ipsi agnoscunt *Diaboli. Credunt* illi, *& contremiscunt.* Qualis autem est illorum Fides? nudus scilicet *assensus* generalis, qui, quanquam *necessariò requiritur*, permultum abest, ut Justificationem numeris suis omnibus *absolvat.*

Sed varia his objiciuntur, primum ab Autho-

re Aphorism. Th. 76. *Explic.* cum inquit, Apostolus *dicit v.* 24. *videtis hominem justificari ex operibus non ex Fide solâ, constat ea* (in negotio consequendæ justificationis de quo loquitur) *connexa*, & in *eodem genere causalitatis*, *quia non dicitur ex Fide*, *quæ est sola*, *sive solitaria*, *Sed* οὐκ ἐκ πίστεως μόνον, *hoc est*, *non ex fide solum.* Atque ita ibi dici verissimum est; Mitto quod in Justificatione causalitatem hoc loco Author tribuit Fidei & operibus, quam * alibi fastidit; nulla enim est *causalitas* propriè dicta, nisi causæ propriè dictæ, tales autem negat Fidem, & opera, quin potius in *conditionum* censu ponit, quas nemo Causis annumerat, de quo litem ei nullam (nunc saltem) movebimus.

* *Aphor. Thes* 56 *Explic. p.* 219. *&c.*

Sed facilis est responsio ex prædictis; Fidem de quâ agit Jacobus, hoc est, aut (qualis reperitur in *Diabolis*) nudum *assensum*, aut *professionem* externam, qualis est in hypocritis, *requiri* quidem ad Justificationem, sed *minimè sufficere*, quia Fides est *infructuosa*; proindè meritò statuit Apostolus, suo Justificationis sensu (de quo posteà) hominem Justificari ex operibus, non ex Fide *tantùm*, vel non solummodò ex Fide *tali*.

Quod autem mox subjungit Fidem ideò mortuam dici quæ sola est, quod scilicet ad Justificationem minimè valeat, si de Fide intelligatur ceu *notionali*, ceu *labiali*, & cum ipsius Apostoli limitatione (quæ diligenter notanda est) καθ' ἑαυτὴν (id est *per se*, & *seorsim* ab aliis animæ actibus,)

actibus, nihil verius dicitur. Sed neque aliquid nostram (cum ea Jacobi) sententiam validius munit, ut ex antè dictis abundè constat; si ad Fidem applicat Justificantem *Paulinam*, nullam talem *mortuam* aut Ipsi agnoscimus, aut Ecclesia Dei; imo nulla admittit Logica; nam ubi de Fide quavis agitur, contradictio est in *adjecto*, [Fides *mortua*,] idem quippe valet ac *nulla*. Veram agnoscimus Fidem nudæ sive *professionis*, sive *assensus* notionalis, i. e. *in suo genere*, quod verò ad *Justificationem* attinet, mortuam nullam asserimus.

Sed in nostram hanc Fidei apud Jacobum acceptionem acriùs insurgit Dissertator l. 2. c. 2. ubi §. 2. sic argutatur: si Justificatio Jacobo sit *declaratio* Fidei coram hominibus, *& tamen fides falsa, ac mortua intelligatur, tum sequetur Jacobum dicere Fidem falsam ac mortuam declarari bonis operibus, quo, inquit,* (& meritò) *quid absurdius?* certè nihil; sed Amice festina lentè. Mirum est haud vidisse virum acutum, cujus demum ea sit absurditas, & quem *Patrem* vocare debeat; *Authorem scilicet Harmoniæ Apostolicæ*, non suos in hâc causâ adversarios. Sic enim ad majorem rei evidentiam formetur argumentum, quod huc omnino redibit. Qui cum Jacobo statuunt Fidem sine operibus bonis esse mortuam, & Justificationem ibi traditam esse *declarationem* Fidei vivæ, & Justificæ per opera bona, illi quoque astruunt, Fidem mortuam declarari bonis operibus; sed prius statuunt

omnes ferè Reformati. Ergo & posterius. Propositione, uti dicit verissimè, nihil absurdius: quasi scilicet inter Fidem *vivam* & *mortuam* nihil interesset. An qui lucem dicit objecta oculis perspicua sistere, idem tenetur de tenebris affirmare? qui *vitam* ait operationibus *vitalibus* innotescere, idem de morte pronuntiare cogetur? Nihilo certe magis, qui Fidem vivam ex operibus bonis dignosci asseruerit, & quæ sine operibus est esse mortuam, (i.e. *nullam*, uti supra exposuimus) ulla Lege Dialecticâ obligabitur asserere, Fidem quoque mortuam ex *operibus bonis declarari*; cum contrà inferenda sit ista (haud admodum æquipollens) propositio, ergo fides *quæ est sine operibus bonis est mortua*; vel, ergo vera *fides Justifica operibus bonis declaratur*.

Quinimò eâ lege fidem mortuam à Jacobo intelligi non abnuit Dissertator, modò fateamur
P. 6. *Fidem sine operibus nihil apud Deum valere ad salutem*: Fatemur ultrò, & fatentur omnes Reformati. Quid inde? nimirum non *illud sibi volunt Adversarii*; at volunt certè, & quidni velint? Quippe, inquit, qui *statuunt fidem esse aliquam, quæ etsi ab operibus sejungi non possit, vim tamen in se Justificandi habeat, quam nullâ ex parte debeat operibus*: Idque rectissimè statuunt ex mente omnium Ecclesiarum, quæ *Reformatæ* audiunt; matris *Anglicanæ* potissimùm, quod supra liquidò evicimus. Aliud tamen est *salus*, aliud *Justificatio* (quod ante monuimus) proinde

non

non erant mutandi termini, nam hoc eſt μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Juſtificatio eſt *cauſa*, & Salus æterna (ſive Gloria) eſt *effectus*: cauſa autem & effectus in ſuis (quas vocant) *formalitatibus* indecorè confunduntur. Opera quæ non valent ad *Juſtitiam*, ad *Gloriam* valere, ſuo *modo*, ut *Viam* ſcilicet fidelibus calcandam, nihil impedit. Hîc itaque ſalva res eſt.

Sequamur vero pauliſper Diſſertatorem noſtrum (qui certè laudem induſtriæ meruit, utinámque iſtas ingenii dotes ad veritatis & Fidei Chriſtianæ cauſam contuliſſet, neque in re maximâ novaturiendi nimiam prodidiſſet pruriginem;) Hæc, inquit, *Illorum interpretatio immane quantum à Textu Apoſtoli abhorret.* Verba quæ fidentem ſatis ſuperque arguunt in re *maximâ*, ubi *tot*, ac *tantos* habet Adverſarios, inter quos ipſa eſt *Eccleſia Anglicana*, ídque verbis minimè obſcuris, quæ ita ſonant. *Fides in Scriptura bifariam ſumitur, una eſt quæ in Scripturis mortua dicitur, quæ utique nulla profert bona opera, ſed otioſa, ſterilis, infructuoſa manet*: Hæc autem à Sancto Apoſtolo Jacobo cum fide Dæmoniorum confertur, & quæ ſequuntur. Ecquid clarius de mente Eccleſiæ? quæ tamen Diſſertatori ita nauſeam movent, ut exclamet, *quàm hæc confuſa, incongrua, repugnantia omnia! immane quantum à textu Apoſtoli abhorret! quo quid abſurdius?* & id genus in vacuo Theatro miras agit Tragædias. Audiamus Argumentum. Jacobus (inquit) fidem de quâ loquitur, ut *bo-*

nam probat. v. 19. *Tu credis Deum unum esse, bene facis.* Illatio; ergo de fide simulatâ nequaquam intelligendus est; sed 1° Illa eadem fides, quam ut *bonam* probat Apostolus, est Fides quoque *Diabolorum*, quippe mox sequitur in textu, & *Dæmonia credunt*; non potest itaque fides esse *viva* nisi eam cum *Diabolis* ipsis communicandam velit Dissertator, quod absit. Cum verò de fide tantùm *simulatâ* intelligendum esse Jacobum contendit asserere Adversarios, in eo valdè hallucinatur. Nam fidem quoque purè *notionalem* cum Apostolo rejiciunt, quæ in *Diabolis* propriè *simulata* non est, neque in hominibus qui eam habent; cum utrique verum præbent Doctrinæ Evangelicæ *assensum*, qui fides est *notionalis*, sed minimè *Justificans*: unde corruit quod sequitur totum. §. 4.

De clausula illa apud Jacobum οὐκ ἐκ πίστεως μόνον supra egimus, neque Criticismo *isti* diutius immorari operæ pretium videtur, cum scopum Apostoli tenemus. De Abrahami fide quam mox dicit eum Justificare non potuisse sine operibus, quia dicitur *ex operibus Justificari* v. 21. quî fugere eum potuit negare Adversarios Justificationem istam fuisse *coram Deo*? Hoc itaque est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, *petitio principii*, quo vix ullus in Disputante molestior paralogismus: neque enim hoc est disputare, sed nugari, & bonas horas malè perdere.

Quæritur, inquam, de Justificatione *apud Deum*, quam *ex operibus* minimè consecutum Abrahamum

hamum ex eo constat, quod multò antequam opus illud præclarum de immolatione filii præstitisset, Justificatus coram Deo esset, ut postea patebit. Si autem Justificatus *ante* opera, ex operibus Justificatum non fuisse quivis intelliget, ni sensu diverso sumat, & consequenter nihil ad rem afferat.

Quod postremo arguit, loqui Apostolum, de fide *quæ aliquando cooperatur operibus*, ex parte verum est, non *simpliciter*; verum scilicet de assensu *notionali*, qui in *Justificatis* semper cooperatur cum operibus, (i. e. ad sanctitatem *inhærentem*, non ad Justitiam *imputatam*) falsum de fide fucatâ & hypocriticâ quà tali, quæ cum bonis operibus consistere non potest, quanquam *professio* (simpliciter) necessaria sit. Hæc, uti spero, satis perspicuè dicta.

Ast æquum est, ut Dissertatoris ad Adversariorum Argumenta responsiones breviter expendantur. § 5. c. 2. &c.

De responsione ad primum, quod scilicet fides Diabolorum non sit *fucata*, supra concessimus. Justificantem verò esse uterque negamus. Hæc itaque vera est σκιομαχία, sive cum larvis luctatio.

Argumentum secundum, quo utuntur Reformati, sic ab eo rectè proponitur, *Mortua fides* non est vera; Fides contra quam disputat Jacobus dicitur ab eo *mortua*, Ergo &c. Miratur verò ille *viros doctos pugnare tali Argumento*, sed alii eum mirari rationabiliùs mirabuntur. Cur enim

enim miratur ? Primò ſcilicet quia vera eſt Fides *in ſuâ naturâ*, etſi non quoad *effectum* Juſtificationis. Si de fide *notionali* (quam ſæpe diximus) intelligat, neminem, quod ſciam, habet Adverſarium. Quis enim negabit *veram* eſſe Fidem iſtam *κατὰ π* & *in ſuo genere*. i.e. verum *aſſenſum* ? ſed mirum eſt eum ignorare Theologos ita loqui de vera fide non quacunque, ſed *Juſtificante*, eáque ſola. Proferat, ſi poteſt, vel unum Reformatum qui contra ſentiat. Nemo enim reperietur, qui Fidem iſtam nudi ſcilicet *aſſenſus* veram agnoſcat quoad effectum *Juſtificationis*, hanc enim omnes volunt (ex ipſo Apoſtolo) cum *Diabolis* communem. Hic itaque rurſus cum umbra ſua Diſſertatorem dimicare palam eſt. Sed obſervandum eſt, inquit, 2°, non dicere Apoſtolum, *ſicut homo ſine Spiritu mortuus eſt*, ſed *ſicut corpus* ſine *Spiritu mortuum eſt*. Rectè, obſervamus; Quid inde ? unde, ait, evaneſcit frivola iſta (ſcilicet Adverſariorum *frivola* ſunt Ei omnia) objectio, Homo mortuus non eſt homo, ſed cadaver tantùm hominis, Ergo fides mortua non eſt Fides, ſed quoddam fidei cadaver. Hoccine verò frivolum eſt ? an Fidem mortuam putat eſſe Fidem? tum homo *mortuus* eſt homo. Sed non comparat, inquit, Apoſtolus Fidem mortuam, cum *homine mortuo*, ſed cum *corpore* mortuo, & corpus mortuum verè ac propriè eſt corpus. At verò oblitus eſt, quod ſicut fides *mortua* comparatur cum corpore *mortuo*, ita Fides viva cum

corpore *vivo*; corpus mortuum non est utique vivum, unde cum ipso nobis optimè convenit in sua *conclusione*, vz: sicut corpus mortuum nihil agit *vitale*, ita neque Fides mortua quicquam prodest, aut ad salutem humanam confert. Qualis verò sit hæc Disputatio, ubi Conclusio adeò non contradicit, ut Adversarii Thesin probet, vel penes Tyrunculos Dialecticos per me judicium esto.

Ad tertium Argumentum responsio ejusdem est planè roboris, eadémque ex supradictis refutatio facilè accomodari potest: nihil autem magis tædet quam actum agere. Postremo itaque dicit ex hac Jacobi similitudine illud saltem manifestum esse, *bona opera in Justificationis materiâ idem Fidei præstare officium, quod corpori anima.* Litem illi nullam hìc (quod multi tamen faciunt) movebo criticam de vocabulo πνεῦμα, quod ille secundum versionem Anglicanam interpretatur *anima*, quæ ψυχῆς nomine usitatò dignoscitur; quanquam si *Spiritus* (Anglicè *Breath*) redderetur, optimè quadrabit cum Apostoli sententiâ; sicut enim corpus sine isto Spiritu (qui ultrò citróque in naribus animalium ludit) mortuum censetur, ita & fides absque operibus. Sumamus verò (ne altercatio inutilis oriatur) suo, & versionis Anglicanæ sensu; hinc nihil aliud efficitur, quam Fidem istam, de quâ loquitur Apostolus, vz. sive nudum *assensum*, sive professionem *hypocriticam*, cum utraque bonis operibus destituuntur, mor-

tuam

tuam esse, i. e. nullius omninò vigoris, quod ad *Justificationem* attinet; hìc itaque quæritur nodus in scirpo.

Jámque superatis in viâ impedimentis circa vocabulum Fidei à Jacobo adhibitum, progrediamur (bono cum Deo) ad Justificationem, de quâ loquitur, excutiendam, quod opellæ præsenti coronidem dabit. Justificationem apud Theólogos duplicem esse notum satis, *Constitutivam* scil. & *declarativam*, illam in foro (sive conspectu) *Dei*, hanc in foro *Creaturæ*, quæ ideo non est Justificatio strictè sumpta (uti prior) sed *figurata* tantùm, ubi *signum* pro signato ponitur. Attamen & ipsa in Scripturis haud semel reperitur, quo etiam sensu Deus ipse Justificatus dicitur, Psalm. 51. vocabulo scilicet utitur, quod nostræ Justificationi respondet, *ut Justificeris tu*, i. e. Ut Justitiæ tuæ illustre extet documentum: similiter Christus dicitur *in Spiritu Justificatus*. 1. Tim. 3. 16. & Matth. 11. 19. *Justificata est sapientia à Filiis suis.* Sapientia Grotio est *æternum Dei Consilium*, Judæos ad pænitentiam invitantis; Hammondo nostro τῦ μαρτυρίου meliùs, *cognitio Christi in Evangelio.* Justificari autem in eo loco utrisque est *approbari*, *laudari*, *testimonio comprobari*, quomodo etiam Luc. 7. 20. sic ubi de hominibus fit sermo. Job. 27. 5. Ezech. 16. 51. facilè qui inspexerit loca videbit: proinde nullus à distinctione vocis cavillo locus relinquitur.

Veniamus

Veniamus ad rem ipsam; Justificationem Paulo semper *constitutivam*, & in foro Dei, Jacobo *declarativam esse* contendimus; idque 1° ex ipsius Jacobi sententiâ, ità se διαῤῥήδην interpretantis, v. 10. δείξω σοι, *declarabo* tibi Fidem me- Rom. 4. 10.
am ex operibus meis: i. e. Tu Justificabis me, vel Justum *dices*, operibus meis convictus; *vitæ pietate non* Deo tantum, & conscientiæ meæ, sed & aliis *ostendam* me esse Christianum, uti Grotius in loc.

2^do^, Ab illustri exemplo Abrahami, quo utitur Jacobus ad firmandam ejus de Justificatione declaratoriâ sententiam. Constat enim Abrahamum *multò ante* fidelem fuisse, quam Isaacus nasceretur; quando, scilicet Jubente Deo, Patriæ primum valedixerat. Heb. 11. & Paulus eum ex Fide Justificatum disertè pronunciat, cum adhuc esset *in præputio* hoc est ante immolatum (in *præparatione* animi) Isaacum suum. Ex *Fide, nondum circumcisus*: i.e. antequam Filium Deo victimam offerret, inquit Paulus: Justificatus est *cum filium obtulit*, idque ex operibus, Jacobus; Cæcus sit, oportet, qui de eâdem Justificatione haud agi non perspicit, nec aliter inter Scriptores θεοπνεύστους evitandam discordiam, imo bellum apertum; à cujus vel minimâ suspicione pii omnes abhorere debeant. Justificatio autem ista declaratoria dici potest, 1°, ipsi Deo, ἀνθρωποπαθῶς sic enim de præclaro isto Abrahami facinore loquitur ipse Deus per Angelum Fæderis. Gen. 22. 12. nunc *scio quod*

times Deum: non quòd ante ignoraverit, ſed quòd tum primùm tam illuſtri Argumento probaſſet vir Sanctiſſimus. Ita Grotius, ubi Paulò ſuprà in Jacob. 2. 18. *non Deo tantùm oſtendam me eſſe Chriſtianum*, ergo Deo oſtendit.

Si quis autem eo Geneſeos loco Deum non ita dicere, ſed *Angelum* ſtatuat (quoniam *Angeli* ſit mentio, non Dei) fortaſſe Angelum iſtum Deum fuiſſe, Chriſtum intelligo, contextum ſedulò excutienti liquidò conſtabit; ſed quicquid ſit de iſto loco, noſtrâ non multum refert, cum Deum ab effectu cauſam intueri ἀνθρωποπαθῶς ſat multa teſtantur alia Scripturæ loca, ut Gen. 11. 5. & 18. 21. Jo. 3. 10. & alibi. Hinc nimirum ſequetur Deo, ipſi innoteſcere (modo quo diximus, κατ᾽ ἄνθρωπον) Fidem ex operibus bonis, & incredulitatem ex malis.

2° Et Angelis (fortaſſe) tum bonis, tum malis Fidei veræ per opera ſit declaratio; quidni enim fieret perinde ac hominibus? cum utroſque inter Homines perpetuò verſari ex Scripturis notiſſimum ſit; nec minor Angelis (etſi modo diſpari) tribuenda ſit cognitio quàm Hominibus. *Gaudent* boni ex converſione peccatoris, Luc. 15. quam ſi quis ex propriâ inter Homines converſatione illis innoteſcere dixerit, pro Hæretico minimè habendum Judicarem. *Spiritus ſunt miniſtrantes hæredibus ſalutis*, quos veluti ſatellites in omnibus viis cuſtodiunt, proinde vias iſtas ignorare non eſt veriſimile. Angelos quod attinet malos,

eos

eos quoque ſcire quid agant Homines (non dico quid apud ſe privatim cogitent, cùm hoc ſit unius Dei) nihil videtur manifeſtius ; unde enim iſtæ aut bonorum (oblatâ, quam ſitiunt, occaſione) ad malum ſollicitationes & ſtimuli, quales erant Davidi, in ſuo tum adulterio, tum * *recenſione populi* ? aut malorum cum impuris ſpiritibus *contractus*, & commercia fere cotidiana, apud Hiſtoricos paſſim memoriæ prodita ? hoc equidem argumento eſt haud porſus ignorare Angelos ſive bonos, ſive malos, quid rerum agatur in terris, proinde ex operibus, quæ ipſis conſtare videntur Fidei quoque indolem innoteſcere. Miſſis verò Angelis (neque enim ab illis pendet controverſia) 3° Oſtenditur Fides per opera *hominibus*, idque 1° ipſis Fidelibus, ceu in foro *conſcientiæ*; hinc enim colligunt eorum Fidem non eſſe ſpectrum aut umbram Phantaſiæ, ſed potiùs ſolidam in Chriſto fiduciam, cum peccatorum remiſſione conjunctam. *Hinc ſcimus nos eum ſcire, quod ejus mandata ſervemus :* Joh. 2. 3. & commate 5° *Hinc ſcimus nos eſſe in eo* per veram nempe fidem inſitos ; unde Paulus 2. Tim. 4. 7. *Certamen bonum certavi, curſum peregi, fidem ſervavi, hinc*, inquit, *repoſita eſt mihi corona Juſtitiæ* ; ex vitâ tam præclare actâ dulciſſimam iſtam, certiſſimámque hauſit ſalutis fiduciam; quò alia faciunt innumera Evangelii loca, quibus immorari nihil neceſſe eſt.

* 1 Chron. 21. 1.

2° Ex operibus fides innoteſcit hominibus

 aliis,

aliis, præsertim bonis. *Ostendam* tibi, inquit Apostolus, Fidem meam *ex operibus* meis; & hinc, inquit Servator, *agnoscent* omnes vos esse meos discipulos, si alii alios diligatis. Quum enim Fides sit quasi *arbor*, & opera *fructus*, de illa autem, monente Servatore, ex istis censendum sit, palam est Fidem ab aliis minimè videri, nisi per hunc (ut ita loquar) operum *tubum*, per eum autem videri posse. Veniamus nunc ad diluenda contra hanc Justificationem *declaratoriam* aliquorum argumenta; nam objicitur, 1° Parum esse ab Hominibus Justificari; utpote *Judicibus* nostris à Deo minimè constitutis, hoc est (ut loquuntur Juristæ) Judicibus *minimè competentibus*. Ad hoc breviter respondemus;

1° Per concessionem, Homines quidem non esse *Judices competentes* in Foro *Dei*, nam ibi *Deus est qui Justificat.* Hinc Apost. *Tu quis es qui Judicas Fratrem tuum? omnes Sistemur coram Tribunali Dei.* At in foro quodam sibi proprio, Judicio scil. *probatorio*, etsi non *definitivo*, Judicare nihil impedit; Hic itaque est ignoratio Elenchi. Homines judicant, non *definitivè*, ut Deus, sed *charitativè*, ut fratres.

2° Forum istud Humanum (quale quale sit) non esse *infallibile*, quin potius variis sæpè erroribus obnoxium. Possunt enim homines (uti monuit Solomon) *Justificare impium*, & *damnare Innocentem.* Idem & Fora interdum faciunt *civilia*, neque *Fora* tamen esse desinunt;

Hoc

Hoc culpam ponit Judicum, jus Fori non tollit. Quin

3° Forum hoc humanum sæpe astruit Scriptura, idque;

1° Conscientiæ privatum; *si Judicaremus nos ipsos*, inquit Apostolus, *non judicaremur à Domino.* 1. Cor. 11. 31: & rursus, *probate vos ipsos: an nescitis Christum in vobis esse, nisi reprobi estis*, ἀδόκιμοι? (causâ vestrâ, à *Vobis* non cognitâ & probatâ) quanquam per hoc minimè quis Justificatur coram *Deo*, ut de se aliàs monet Apostolus. 1 Cor. 4. 4. mitto alia.

2° *Publicum*, idque 1° (*fidelibus* præsertim) omnibus commune & promiscuum; de Judicio isto *charitatis* loquor; cognoscetis eos (sive bonos, sive malos) ex *fructibus* inquit Servator; qui sive sint doctrinæ, sive morum fructus, seu potius utrique, perinde est; hinc enim sequetur posse alios *aliorum* facta suo modo cognoscere, & consequenter in Foro suo dijudicare, sive sententiam de illis ferre. Opera enim probant Fidei nostræ *sinceritatem*, fatente ipso Aphorismorum Authore. p. 299. Quinimo etsi Forum hoc Humanum (sicut & ipsa Justificatio) minùs propriè ita dicatur, quod nullam propriè Jurisdictionem obtineat (*Tu enim quis es qui Judicas Fratrem*, inquit Apost, (ut ante) & alibi, *parum est mihi à vobis Judicari, aut ab humano Judicio*) non est tamen ut litem moveamus de vocabulo à Theologis passim usurpato, cum constat de Re; Quin & hujus

 Fori

Fori Jurisdictio quædam est *privata* & in suo genere; Tenentur enim Christiani omnes bene operantibus se *associare*, eósque sibi in exemplum proponere; contrà malos operatores studiosè *vitare*, & ab illorum commercio sejungi, quod sententiæ cujusdam *Judicialis* instar habet; id autem nobis in hoc negotio sufficit.

3° Forum est Judiciale *publicum*, Humanum, magis Augustum, intelligo *ministeriale*; quò spectat illustre illud Ecclesiæ Pastoribus indultum à Christo Privilegium, *quorum peccata remiseritis, iis remittuntur &c.* Hìc planè Judices habemus ex munere speciali *Authoritativo declarantes & pronunciantes*, ut cum Ecclesiâ Anglicanâ loquamur; utinámque Fori hujus momenta gravissima à Fidelibus quibuscunque diligentiùs expenderentur.

4° Neque parum est (suo genere) ab *hominibus* Justificari, sive Fidem per opera illis elucere; permagni quidem faciunt, tum Christus, tum Apostoli. *Ita*, inquit ille, *lux vestra splendeat coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem in cœlis.* Infinitus essem si singula id genus áttingerem. Certè hinc ipsi Fideli minimè spernenda consolatio, quòd de bono bene sentiant boni: hinc aliis aut spectabile pietatis exemplar, aut tremendus scelerum Elenchus; hinc Gloria Deo, hinc Angelis in cœlo gaudium.

Verùm hic colligit vir doctus Justificationem

à

à Jacobo traditam *auguſtiùs aliquid ſonare*, quoniam ſcilicet ex eâ ſalus æterna pendeat, v. 14. Sed hujus dubii ſolutio perfacilis eſt ex antedictis, Fidem ſcilicet operibus vacuam i.e. mortuam neque *ſervare* quenquam, neque *Juſtificare*. Quod mox itidem ſequitur, Homines non eſſe legitimos Juſtitiæ noſtræ coram Deo Judices, ex modò dictis ſimiliter reſponſionem accipiat.

Quum verò ſtatim interrogat, utrum Juſtificatus fuerit Abrahamus ex opere aliquo *ſecreto*, an ex *notorio*, facilè reſpondetur ex *ſecreto*, coram Deo, vz. ex Fide, ex *notorio*, coram creaturâ, i. e. ab operibus in ſenſum incurrentibus. At *Deus*, inquit, *imputavit Juſtitiam*, *Deus Juſtificavit*: §. 23. quid inde? an propter opera? nequaquam, aſſerente contrarium textu, *Abraham credidit in Deum*, *&* *imputatum eſt ei in Juſtitiam.* Quæretur fortaſſe, quomodo tamen ex oblatione filii *impleta* eſt Scriptura, quæ dicit, *Abraham credidit Deo*, iſto opere (haud ſecus atque ex Fide) Juſtificatus fuerit; Utroque ſemper dicimus Juſtificatum, ſed in *Foris diverſis*, per Fidem in *Divino*, per opera in alio, ut ante expoſuimus. At 2° Impletio duplex eſt, vel ſcil. quoad *rem*, vel quoad rei *evidentiam*; priori modo conſtat impletam fuiſſe Scripturam de Juſtificatione Abrahami ex Fide ſolâ multò antequam Iſaacum offerret immolandum, imò antequam naſceretur. Iſta enim ſcriptura invenitur Gen. 15. Oblatio

latio Filii; Gen: 22. Justificatus est scil. *coram Deo*, non cum esset in *Circumcisione*, sed in *præputio*, altùm monente Paulo: sed quoad hujus Justificationis aut Fidei suæ *evidentiam*, tribuenda est ea operibus, & isti præcipuè, de quo loquitur Jacobus; præcipue inquam, non *soli*, neque tamen operum Abrahami *primo*, (quod totius ex Jacobo Sophismatis fundamentum valde succutit) Quippe ex operibus, *declaratoriè* Justificatus est, ante istud editum insigne facinus, idque indicio perinsigni, cum primum oraculo Dei monitus lares Patrios relinqueret, *nesciens quo vaderet*, uti Apost. Heb. 11. 8. Quin & plures *intermedias* tentationes, in quibus præclara suæ Fidei specimina Pater Fidelium dedit, enumeratas habemus apud Grotium. Gen. 22. 12. adeo ut tunc primùm (& tamen hoc semper nobis utramque paginam implet) neque *Operibus*, neque Fide suâ, neque coram *Creaturis*, neque *coram Deo* Justificatus fuerit. Cum verò ista oblatio Isaaci Fidei Argumentum adhuc *insignius* extaret (utpote quæ tot & tanta perrupit tentationum repagula) in eo potius insistendum censuit Jacobus. Idem prorsus dicendum de S. Jacobi sententia, ubi Fidem statuit perfectam (πληρωθεῖσαν) ex operibus; nempe perfectionem loquitur *externam* & declaratoriam. Neque insolens est vocabuli in hoc sensu significatus, uti cum 1 Cor. 12. 9. dicit Deus, *potentia mea perficitur in infirmitate*, vox eadem πληροῦται, *illustratur*, perfecta *agno-*

scitur

ſcitur, inquit Grotius in Loc. Abſit enim, ut ulla potentiæ divinæ tribuatur imperfectio. Similiter, 1 Joh. 2. 5. *quiſquis ejus obſervat ſermonem, in eo amor Dei perfectus eſt*, πληροῦται: *non poteſt validiùs oſtendere ſe Amore Dei teneri*, interpretante Grotio; *Certum unicè Argumentum*, Hammondus noſter. Sic itidem. 1 Jo.4.1.2. *Amor Dei perfectus eſt in nobis*, πληρωθέν; verè, ac *reipſâ comprobatus*, ut rectè Beza. Hinc habemus quid Jacobo ſit Fidem *perfici* operibus, (ſaltem non repugnat vocabuli uſus) quod vitæ nimirum Sanctimonia ſit optima & locupletiſſima Fidei ſinceræ teſtis. Sed ita perfici, quaſi Fidei Juſtificantis *formale* (i. e. eo ipſo *ut Juſtificat*) opera ad complendum Juſtificandi actum requireret, hoc unum os eſt, quod Eccleſiæ Reformatæ deglutire nequeant.

Nunc videamus quem hic nobis umbonem obtendant contra ſentientes.

1° Cum dicitur Abrahami Fidem multò ante perfectam fuiſſe, negat hoc prædictus Aphoriſmorum Author, ut perfectio notat *impletionem Fæderis Evangelici*, quod inſuper *obedientiam* exigit.

Concedit quidem paulò ante (cum Pontificiis) *initium* Juſtificationis uni Deo tribuendum abſque omni operum concomitantiâ, ſive συνεργίᾳ; negat ipſam Juſtificationis *durationem*, & *complementum* ſine operum obedientiâ conſiſtere. Idem de Juſtificatione Abrahami, priuſquam offerret Iſaacum, illi definire viſum

est ibidem. Hic quidem lentiùs procedendum, (saltem ne obscuri videamur.) Negat Author prædictus perfectam fuisse Fidem Abrahami ante oblationem Filii, eo sensu ut conditionem Fœderis impleret: Nos contrà, sine præstitâ Justitiæ conditione nulla est Justitia; sublatâ enim causâ, tollitur effectus, & conditio est instar causæ; quicquid enim ad effectum *necessariò* requiritur, Dialectici inter Argumentandum pro causâ habent. At verò effectus *ante* exstitit, hoc est Fides *Justifica*, uti constat ex Gen. 15. 6. ergo Fœderis quoque conditio *impleta* ante existebat, Fides scil. amplexa promissionem. Nam hæc, inquit Textus, *imputata est illi ad Justitiam*, ergo Fides Abrahami priùs perfecta est, ut *conditio fœderalis*, quàm opus istud insigne vir Sanctus edidisset; ergo minimè perfecta *operibus*, quod Author frustra contendit; quod enim perfectum est in *suo genere*, magis perfectum esse non potest.

Verùm hìc in parato responsionem habet, Fidem unicam esse conditionem *primam* consequendi apud Deum Justitiam, non verò *secundam*, sive continuatam, in quâ partem suam vendicant opera; nam Fides, inquit, non est *sola conditio* novi Fœderis; sed Fides *cum pœnitentiâ* simul & obedientia. Distingui verò oportuit, quæ hic & alibi periculosè confunduntur. Obedientiam mandatis Dei præstandam novi Fœderis esse *conditionem* lubentes agnoscimus, esse tamen *Justificationis* apud Deum negamus.

Cum

Cum enim novi Fæderis corpus diversorum quasi membrorum *compage* constat, nihil obstat (uti ante monuimus) quin quod ad unum necessariò requiritur, ab alio penitus excludatur, quod in corpore Animali manifestissimum est. Alia scilicet constitutio & indoles est *Cerebri*, alia *Pedis*, quæ quamquam inter se ità dissentiant, ut neutrum cum alterius Fabricâ consistere valeat, ad totius tamen corporis incolumitatem & vigorem utraque conspirant. Perinde habet in Fæderis Evangelici membris; aliorum alia sunt munia; non Justificamur *formaliter* per illud quo sanctificamur, nec sanctificamur *formaliter* per illud quo Justificamur: illud Justitia efficit *imputata*, hoc *inhærens*, (sed utraque *Divinitus* indulta) quæ si non cautissimè distinguantur (iterum repeto) de Justificatione erit οὐδὲν ὑγιές. Itaque distinguimus de conditionibus Evangelici Fæderis; aliæ *causales* sunt, qualis est Fides, eáque tantùm *relativè* ad objectum (viz *Justitiam Christi*) accepta, (quod uno ore statuunt Reformati) aliæ *declarativæ*, ut *Media*, ceu itinera, quibus eundum est *Justificatis* ad salutem: Has autem sancta esse *opera*, iterum iterúmque concedimus; sed inter *causas*, & *effecta* discrimen non patere viris Intelligentibus, & in Re sive Philosophicâ, sive Theologicâ probè versatis, mirum meritò videatur.

De Controversiis quæ aliis intercedunt cum homine aliquo privato, Pembelo, Paræo, &

ſimilibus haud magnopere laboro, utpote, qui ab Eccleſiis, ceu Antiquis, ceu modernis, cum Scripturâ ſentientibus ſtare decreverim, præcipuè ab Anglicanâ. Interim Pembeli Argumento non ſatis feciſſe videtur vir doctus. Objicit, quemadmodum non dicitur homo vivere (quà homo intellige) per *Rationem* (id eſt animæ operationem) ſed per Animam, ita Juſtificari dicamur per Fidem *operatricem*, non ita *ex operibus*. Similitudinem hic alter quadrare negat: Quid ita vero? quoniam Juſtificatio non eſt proprius Fidei *effectus*, imò propriè nec effectus omnino, utpote à cauſâ extrinſecâ, (*Deo* nimirum, (ſi eum capio) Juſtificante) profectus. An vero quemquam putat Similitudinis omni ex parte *paritatem* ſtatuere? ſufficit Similibus, ut *quà ſimilia*, conveniant, uti hic optimè; Anima eſt cauſa operationis vitalis Phyſica, ita Fides Chriſtum intuens & *amplectens*; Juſtificationis cauſa *moralis*. Rurſus, ſicut per animam vivitur, non per Rationis *uſum*, aliumve quemvis *actum* vitalem (nam iſta vitam animamque ſupponunt, non efficiunt) ita Juſtus ex Fide vivit, non *ex operibus*, quæ, ſi grata Deo, Fidem *conſequuntur*, ut operatio vitalis Animam. Quid in hâc ſimilitudine ineptum aut inconſequens ſit, latere me fateor. Cum autem ulteriùs ſe explicat vir Doctus, ex ſimilitudine Servi, quem ait Hero ſuo placere poſſe æquè per *rationem* ac *animam Rationalem*, mira profectò videatur inſtantia; Quid enim eſt

Servum

Servum placere Domino per animam rationalem? an quod *Homo* sit, non autem *Bestia*, aut *Arbor?* placet utique per debitum rationis *usum*, & exercitium, non simpliciter, quod habeat animam. At 2°, quænam hinc elicienda conclusio? quam scil: nemo unquam in dubium vocavit, Ergo non per Fidem tantùm, sed per opera placemus Deo, quod quidem apud omnes in confesso est: sed quid hoc πρὸς ἔπος? ad suam Oper: Justitiam? aliud est certè (si quid ego saltem Theologiæ sapio) opera *placere* Deo, aliud *Justificare* operantem; sicque nostro Aphorismorum Authori in præsentiâ valedico.

Videamus proximè quam nobis Dissertator symbolam in hoc negotio porrigat, cap. 3. & 4. Dissert. post. neutiquam, inquit, concedi debet Justificationem Fide solâ sine operibus homini contingere. At non ea vox ést Ecclesiæ Anglicanæ, sed prorsus contraria, quod superiùs aliunde vidimus ex Homiliis. Breviter, si hoc tantum vellet Author Justificationem non esse sine operibus bonis (quoad *habitum* saltem) *præsentibus* in Justificato, neminem, quod sciam, habebit Adversarium; at si hic sensus (quem esse ex tota Dissertatione plus satis liquet) Justificationem (ex parte saltem) *Operibus* deberi, reclamant *Scriptura*, *Patres*, *Ecclesiæ*, quod & supra evicimus.

Quod mox sequitur, *nemo ad primam Justificationis Gratiam pervenire potest, qui pænitentiæ opera non præstiterit*, (quod tamen quasi *tre-* P. 7.

pidè pronunciat, *minora* ac pauciora iis quæ Juſtificatum *ſequuntur agnoſcens*) utinam hæc ſatis priùs apud ſe expendiſſet, quàm in lucem emitteret, nam ut taceam Juſtificationem primam & ſecundam voces eſſe Reformatis auribus inconditas) audi iterum quæſo matrem Eccleſiam Art. 13. *Opera*, inquit Eccleſia, *quæ fiunt ante gratiam Chriſti, & Spiritus ejus afflatum* (i. e. ante Juſtificationem, Interprete Articuli titulo) *cum ex Fide Jeſu Chriſti non prodeant, minimè Deo grata ſunt*; & mox, *imò cum non ſint facta, ut Deus illa fieri voluit, & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.* Hactenus Eccleſia, quibus nihil magis contradictorium Diſſertatoris inſtituto; ſic enim ſyllogiſtice:

Opera *minimè Deo grata*, opera *peccati rationem habentia*, nil conferunt ad Juſtitiam; at talia ſunt opera quæcunque *ante Juſtificationem*; ergo nihil eò conferunt; ſi autem nihil conferunt ad Juſtitiam, nec eò requiruntur. Cauſa certe moraliter *mala* non requiritur ad effectum bonum, quem potius impedire conſtat.

Ad caput quartum progrediamur, ubi iterum ſtatuit longè convenientius eſſe, ut *Paulum ex Jacobo*, quàm Jacobum ex Paulo, interpretemur. Sed quam hoc longè incommodiſſimum ſit, quámque nullâ interpretationis *æquitate* nitatur, ſupra eſt oſtenſum. Falluntur ſanè (ut ex Theologo clariſſimo hoc adjiciam) qui Jacobum putant Juſtificationem *definire*, cum nihil aliud

ſtudeat,

ſtudeat, quàm pravam eorum ſecuritatem diruere, qui excuſando bonorum operum contemptui Fidem inaniter obtendebant.

Quod autem ex Paulinis Epiſtolis, *pravè intellectis* occaſionem licentiæ ſumpſerint, (ut non male ſuſpicatur Harmoniæ Author) id, inquam, etſi fortaſſe veriſſimum ſit, non ſequetur tamen Paulum à Jacobo interpretandum, utpote qui ſui paſſim interpres ſit optimus, præcipuè ejuſdem illius Epiſtolæ ad Rom. (ubi ſcilicet ex profeſſo Juſtificationis naturam aperit.) cap. 4. Ad ea quæ poſtea ſubnectit, Fidem, P. 75.76. cui Juſtificatio à Paulo tribuitur, non niſi eam eſſe quæ per *charitatem* ſit *efficax*, oſtendat vel unum ſi poſſit, ſive *Reformatum*, ſive Pontificium, qui hoc negaverit; & quorſum ideo hunc excitat pulverem? quorſum eò ſpectantes citat Scripturas? Quid enim hic novi eſt? concedimus totum: ſiquidem nihil hinc concluditur, quam Fidem Juſtificantem bonorum eſſe operum *parentem.* Omnino; ſed hoc inferendum erat, *ergo bona opera coram Deo Juſtificant*; id verò non ſequitur; neque enim ſi anima ſenſitiva conſtituit animal & parit *motum* localem, ideo dicatur motum iſtum concurrere ad *conſtituendum* animal, *effectus* ad *exiſtentiam* cauſæ.

Hinc pergit ad cauſæ ſuæ munimentum (ſecundùm illud Jacobi) validiſſimum, & quaſi ἀκρόπολιν, de quo etiam mirè gloriantur Pontificii, vz: 1 Cor. 13. 2. *ſi habeam omnem Fidem*,

dem, *ita ut montes transferam*, *charitatem autem non habeam*, *nihil ſum*. Duo autem hinc effici Diſſertator nihil dubitat, 1° ſcilicet Charitatem Juſtificationis munus cum Fide *partiri*, 2° à verâ Fide eſſe *ſeparabilem*; nos utrumque excutiemus.

Primum itaque, Apoſtoli non eſt eo loci inſtitutum de Juſtificatione quicquam differere, ſed cum de donis cap. præcedenti egiſſet, in hoc hortatur, ut omnia ad Charitatem referantur, quam debitis prolixè ornat Elogiis. Hinc igitur ad Juſtificationem charitatis cum Fide *ſociam* trahi nil poteſt; non magis quam ex innumeris ejuſmodi locis, quæ docent *ambulandum eſſe in bonis operibus* ad Gloriam, quod abſit, ut qui Chriſtum profitentur, ulli negent.

2°, Cum πᾶσαν πίστιν omnigenam Fidem, adeoque *Juſtificantem* ipſam includere acriter contendit, permultos habet Adverſarios; inter quos & magni nominis Chryſoſtomus in Loc. qui Fidem iſtam inter χαρίσματα, ſive dona ponit *gratis data*, non *gratum facientia*, κἀκεῖνο σκόπει, inquit vir Sanctus, πῶς ἐν βραχεῖ πάντα περιέχει τὰ χαρίσματα προφητείαν εἰπὼν καὶ πίστιν i. e. hoc inſuper notandum, in brevi quaſi tabellâ complexum (Apoſtolum) chariſmata omnia, ubi prophetiam nominavit & Fidem; & continuò, ἢ γὰρ ἐν λόγοις, ἢ ἐν ἔργοις ἐστὶ τὰ θαύματα. *Sunt enim miracula vel in dictis vel in factis*; Unde patet Chryſoſtomum de Fide *Signorum*, *particulari*, ſive *extraordinariâ*,

mariâ, non de Fide *promissionum*, sive Justificante, locutum. Quin & piæ memoriæ Hammondus noster in suâ paraphrasi, *si habeam gradus omnes istius Fidei*, istius dicit signanter (of that Faith) *per quam eduntur miracula* &c: Et certè hoc ipsum fere miraculi instar est, cur Apostolus clausulam istam [*ut montes transferam*] apponeret, nisi interpretationis & *Commentarii* vice, de quâ Fide loquatur, Fide scil: *signorum*, quam à Justificante separabilem agnoscimus, ut in casu Judæ Proditoris & Hypocritarum istorum, Mat. 7. 22. abundè constat: itaque frustra est Bellarminus (qui etiam Authoris sententiam tuetur) cum Fidem istam nihil aliud esse statuit quam ipsam veram Fidem, sed *excellentem*: nam si de verâ Fide (prout exponunt Reformati) i. e. *verè Justificâ*, loquatur falsum esse probavimus, nisi tali Fide & Judam ipsum imbutum dicat: sin aliam intelligat, nil nostrâ interest; quid enim probat, nisi *Fidem esse Fidem*? neque enim negandum est Fidem miraculorum esse *veram* Fidem, in suo nimirum *genere*, non tamen verè *Justificam*. Hic itaque eadem semper recurrit *ignoratio Elenchi*; Nos de *pomis* loquimur, Illi de *cæpis*.

De Justif. l. 1. c. 15.

Cum vero in probationem subjungit Bellarminus, Fidem Justificantem & miraculorum eadem esse *specie*, quia scil. Marc. 16. dicitur, signa *autem eos qui crediderint*, hæc sequentur; hoc certè pro Argumento *fanatico* habendum;

& si miracula ista, uti ait, sint signum *auctæ* Fidei, constat ei non auctam fuisse Fidem, quippe qui nulla, quod scimus, edidit miracula. Apage ἀπολογίαν istam & Donorum Dei (quem non ferent) abusum.

Præcipuum quod à Bellarmino urgetur (quem etiam sequitur Dissertator) Apostolum ad Finem capitis de verâ & perfectâ Fide agere, ubi dicit, *nunc autem manent hæc tria, Fides, spes, charitas, maxima autem harum charitas, ergo initio capitis hoc egit*; non illud statim sequetur: cur enim de eodem Fidei *charismate*, quo caput inchoavit, non clauderet (præsertim cum nulla prorsus alterius Fidei mentio intercedit?) hoc itaque probandum restat.

Ego vero (ut quod res est dicam) nihili facerem talem etiam de Fide Justificâ objectiunculam. Detur itaque Fidem esse *veram* & *vivam* de quâ isto capite sermonem instituit Apostolus, quid inde tanti eliciendum? nimirum, quod omnes concedunt Reformati, Fidem Justificam non prodesse sine *charitate*, neque hoc mirandum, cum sine charitate nusquam reperitur. Sed quid hoc iterum ad *Justificationem*? semper negabimus *consequentiam*, Fides quæ Justificat non est absque charitate, sine quâ nec Deo grata est, ergo *charitas Justificat.*

Hoc autem alteram illam quæstionem nobis suggerit à Dissertatore propositam, An Fides vera (sive Justifica) possit à charitate separari.

Asserit

Afferit Ille, quod & omnes quoque Pontificii; fed nullam *reapfe* feparationem, ceu ratione *Subjecti*, agnofcunt Reformati; Conceptu tamen *formali*, & quoad ipfam Juftificationem, anxiè meritóque femper diftinguunt.

Audiamus vero Differtantem: *Contraria* inquit, *fententia fuppofitionem Apoftoli ineptam facit.* Quàm vellem cautiùs agerent Theologi, quàm ubi quid in facro Codice ipforum cogitatiunculis minimè blanditur, Scriptores ϑεοπνεύστους (quo ipfi potiùs laborant) *inepti* poftulare! Eccur autem Apoftoli fuppofitio *inepta* efficitur, quoniam fcilicet ni Fides Charitate vacua interdum reperiatur, fruftra fupponitur Fidelis *Charitatem non habere.* Quantus de Re quantulâ,(imo nihili) clamor!

Nam 1° nondum probavit Differtator Fidem ibi *Juftificantem* intelligi, neque unquam probandi fpes eft. Hoc itaque illi largiendum eft, ne duri nimium & difficiles videamur; neque tamen vel hoc dato ulla erit Apoftolicæ fuppofitionis inconcinnitas, quoniam *nulla fuppofitio ponit aliquid in effe*, v. g. Si Cajus fit animal expers rationis, Brutum erit; nunquid hoc probat Caium *expertem effe poffe rationis?* Certè nec magis *Hypothetica ifta*, *fi Fides fit expers charitatis*, *nihil efficit*, Fidem probat à charitate feparabilem.

2° *Certum eft*, inquit, cognitionem & Prophetiam quæ *ab Apoftolo cum Fide ponuntur*, *à charitate fejungi poffe.* Id quidem inficias haud

imus; sed probandum est, si quid inde expiscari velit, non *poni modò cum Fide*, sed in eadem quoque relatione, *ordine* efficacitatis, & *gradu*, quod à nobis nunquam obtinebit. Potest sanè *Prophetia* & *cognitio*, de quâ loquitur Apostolus, inveniri sine charitate & sine istis *Fides*; sed nullibi sine charitate Fides Justifica reperitur. Agit enim illa *per charitatem*, non agit per *Cognitionem* (sensu Apostolico) aut *Prophetiam*.

Interim seriò monendus est Dissertator, ut *Se sibi conciliet*, & *pacem componat domi* nam si Fides Justifica sit separabilis à charitate (quod hic acriter contendit) quomodo *cultum Dei* Evangelicum *sibi conjunctum* habet, quod ipse statuit, p. 84. quomodo *universam pietatem* comprehendit? p. 85. Quomodò demum (ut alia id genus prætercam) *vocabulo Fidei niversa obedientiâ Evangelica exprimitur*? p. 89. Qualem hìc ἀνῶμαλίαν cernimus! Ut verò paucis dicam, totus iste Sermo Paulinus de charitate ubi cum Fide confertur, si de Fide Justificante intelligatur (quod commate 2° Esse pernegamus) *hyperbolicus est*, neque magis arguit Fidem à charitate separari posse quam Angelum è cælo aut novum Evangelium prædicare, aut Anathema fieri. Gal. 1. perinde enim est quasi argutarer, Homo non *respirans* non est animal, Ergo homo potest non respirare, vel à respiratione separari, Fides per charitatem non respirans non est Fides, Ergo fides potest esse sine charitate.

Ecquis

Ecquis in Dialecticâ Tyrunculus (parcatur interroganti) ſophiſma non videt? à *dicto* ſcilicet *ſimpliciter*, ad *dictum ſecundùm quid.* Fides, ut *Juſtificans*, eſt ſine charitate, hoc eſt, non *partitur* cum charitate Juſtificationem ſed ut *operativa* (quod ad *ſalutem* neceſſe eſt) charitatem habet *pediſſequam.* Denique, inquit Diſſertator, Fides cui Juſtificationem tribuit Paulus *obedientiam* in ſe complectitur; ſuo *modò* fatemur, ſed non ad *Juſtificationem*; ut *fructum* ſcilicet neceſſarium *effectum* fidei, ſicut anima rationalis in ſe complectitur *actus* rationales, neque tamen actus iſti ad hominem conſtituendum vel hilum faciunt. Argumentum affertur ex Rom. 2. 13. *non enim* qui audiunt *Legem apud Deum*, ſed qui *legem præſtant Juſtificabuntur.* Hoc autem de præceptis moralibus rectè interpretatur. Sed hoc ei non ſufficit, niſi & hujus legis [moralis] obſervantiam ad *Juſtificationem* eſſe omninò *neceſſariam*, idque in terminis ſtatuat Apoſtolus. Quo quid magis ἀπροσδιόνυσον? ſcilicet Apoſtolus, quò ad Juſtitiam fidei Judæos alliciat, oſtendit eos ex *Lege* fruſtra ſalutem quærere, ſic enim ad præſtandam legem premeret obligatio, hoc autem ex infirmitate carnis (à lapſu primo contractâ) prorſus impoſſibile. Quid hinc inferendum? Ergo *Fides*, inquit, *obedientiam in ſe complectitur legalem*, quam ſi Calvinus rideat conſequentiam, utique non erit ridendus ipſe. Nunquam certè negavit Calvinus, nunquam ex Reformatis ulli legem ei *implendam* qui *ſervabitur*,

ſed hoc in Chriſto *Sponſore*, & *vicario*, *à ſe* minimè. Alia ſcilicet eſt obedientia *legalis*, alia *Evangelica*, perfectionem illa *omnimodam* poſtulat, hæc unam animi *ſinceritatem*, quanquam multis *imperfectionibus* & maculis inquinatam. *In multis enim labimur omnes*, & qui labitur in uno, legem non præſtat, imo reus eſt omnium contra legem admiſſorum. Hæc autem ſufficere, poſſunt ad omnia de legis impletione diſſertata, quæ ſanè quò ſpectant (ex *ſuapte natura* intelligo) niſi ad gratiam Evangelii excludendam, nunquam hactenus intellexi, & intelligere poſſe deſpero. Reliqua quæ congeſſit de operum Juſtificatione in præſentiâ non attingam; utpote ex antedictis (ut opinor ſaltem) abundè refutata. Nil ſupereſt niſi votum, ut *Deus nobis det intelligentiam in omnibus.*

AUCT.

AUCTARIUM.

Relecto Harmoniæ Apostol. Dissert. cap. 6. num. 11. ad fin. Ubi ex Reformatorum concessis magno (uti solet) *impetu* contra ipsos provehitur, plenius paulo quàm ex antedictis suffláminandum judicavimus; præcipuè ne quid in eo momenti consultò præteriisse videamur. Id autem quâ possum brevitate conficiam.

Hypothesis Reformatorum hæc est, *Bona opera ad salutem esse omnino necessaria.* Verissimum. Proinde (ut hoc obiter de integro moneamus) SOLIFIDIANOS vocare citra *Calumniam* nemo queat. Sed audiamus conclusionem: *Ergo*, inquit, *ad Justificationem non minus necessaria*, Hærendum ibi: ut probat Consequentiam? *In Justificatione* scilicet *jus ad salutem nobis confertur*, *& hoc*, inquit, *omnes agnoscunt.* Conceditur. Miratur tamen cur *ex operibus jus ad salutem obtinere negant.* De Admiratione istâ ipse viderit. An Illi æquivalent hæ propositiones, *Opera sunt necessaria ad salutem* (sive Gloriam) & *Ex operibus salvamur.* Cur itáque S. Paulum non miratur alterum sæpe asserentem, alterum toties negantem? Ostendat si potest in totâ

Scripturâ locum vel unum, ubi hæc invenitur locutio, *Ex operibus salvamur.* Sed Authorem suspicor inter jus *ad Rem* & jus in *Re* (pro eo quod oportuit) minimè distinxisse, quæ tamen tum à Jureconsultis, tum usu verborum communi satìs internoscuntur. Jus *in Re* idem est cum jure *Proprietatis*, non ita jus *ad Rem.* Distinguendum adhuc 2° erat de jure *in Re* istâ, quæ jam Justificatis oritur, sive Justificationis *effectu*, qui duplex est, *totalis* (sive *completus*) & *partialis.* Ille in *patriâ* tantùm reperitur, hic *in viâ*, quippe multa statim ab ipsa Justificatione *de facto* sortiuntur Fideles beatissima privilegia; qualia sunt *Adoptio*, *Pax cum Deo*, *Inhabitatio Spiritus* & ejusmodi complura alia. *In* his itáque Justificatos jus aliquod habere constat, sed in futurâ beatitudine adhuc nullum, utpote quâ minimè nondum fruuntur; habent tamen *ad Rem*; ut Pupillus ad patrimonium. Ista itáque *confundi* aut in *tenebris* tractari haud oportuit. Confunditur in hac Argumentatione Justificatio cum ejus *effectu*, eóque omnium *perfectivo*, vz. *Gloriâ in cœlis.* Ad hanc opera bona necessaria suo modo minimè diffitentur Reformati (quod & ipse in Hypothesi agnovit) nunquam tamén Justificari vel etiam adipisci vitam *ex operibus* concedent, neque ut hoc faciant ulla talis Harmonistæ argumentatio suadebit. Discat ille potiùs à tot non modò Scriptoribus Reformatis sed Ecclesiis quoque (in quibus est *Anglicana* mater.)

Sed

Sed quid ab illis discendum est quos afferit aut *nescivisse quid sit conditio*, *aut sibi saltem velle contradicere*? Quid hoc est? Tot tantósque Theologos nescivisse *quid sit conditio* aut *sibi contradicere velle*. Hoc certè durum sonat. Mortalium miserrimi! quibus aut insigniter stultos aut nebulones esse incumbit necessitas. Quid ergo ex ipsius *Cathedrâ* erit conditio? *Est*, inquit, *promissionis, pacti, sive Testamenti conditio, & semper ad jus aliquod refertur*. Conditionem esse *conditionem*, ægrè adducor ut credam nescivisse Theologos Reformatos, imo neque *ad jus aliquod obtinendum referri*. Sed pace suâ exprimendum hoc erat (perspicuitatis saltem gratiâ) id esse, *unde negocii effectus*, vel (ut alii) *dispositio suspenditur*. Hinc itaque concidit omnis Justificatio *ex operum conditione suspensâ*. Sic enim arguimus, Pag. 49.

Si bona opera sunt Justificationis (quam loquimur)
Conditio, tum ab eis suspenditur Justificatio:
Hoc autem fieri non potest,
Ergo non sunt conditio Justificationis.

Assumptio (quæ sola in dubium venire potest) sic facilè confirmatur ab Ecclesiæ Anglicanæ (ne quid nunc de Scripturis dicam) Art. 13. ubi Opera Justificationis *antecedanea* neque *grata esse Deo*, neque *ex fide* ortum ducere, quin & *naturâ suâ pravitatem continere* statuit. Hinc statim sequitur, quod cùm unius Dei sit actûs

ſui præſcribere conditionem (hoc enim *Conferentis eſt* non *Collatarii*) ad iſtas ab eo partes nunquam accerſitum iri *Opera*. Nullus enim hoc facit *mortalium*, ut beneficii à ſe impetrandi conditionem ultro affigat *ſibi minimè gratam*; nec bonus quiſquam vitioſam. De operibus Juſtificationem, quam loquimur, primam *ſubſequentibus*, cùm ab ipſis quoque *Pontificiis* explodantur iſta, & craſſam ſonant *contradictionem*, nihil alibi dictis adjungam,

Quod autem de Operibus verè (etſi non perfectè) bonis ad ſalutem conſequendam tam magnificè (ſed fruſtra) urget (quanquam hoc aliò pertinere conſtat) ſi *Veritatem* quærimus & *Pacem*, res facilè, ut puto, expedietur.

Conferamus itaque paulisper pedem. Quæritur an opera bona ſint *conditiones* obtinendæ gloriæ. Diſtinguimus de conditionibus, quarum aliæ jus *in Re*, aliæ jus *ad Rem* reſpiciunt, idque vel *per ſe & primariò*, vel virtute tantùm alienâ & *per* * *accidens*. Præmiſſâ hac diſtinctione, dicimus, 1° Opera nulla tales eſſe conditiones, ut jus *ad Rem*, i. e. ad *Gloriæ* mercedem conferant, Ratio eſt quia jus hoc omne totum antè peragitur in Juſtificatione *per Fidem-ſolam* (quatenus applicantem credentibus

* *Conditiones omnes in Cauſarum per accidens cenſu ponit eruditiſſ. Suareſ. Metap. Diſput. 12. §. 3. num. 16. quod in aliquibus tenere manifeſtum eſt, ſed an de omnibus vehementer addubito: Quid enim prohibet ſatisfactionem Chriſti (Juſtitiæ Divinæ & legi præſtitam) conditionem eſſe ſalutis humanæ? quæ tamen & cauſa eſt per ſe & propriiſſimè effectiva.*

Juſtitiam

Justitiam Christi) quæ igitur novi Fæderis *conditio unica* (ex parte Hominis Justificandi) á Theologis Reformatis passim agnoscitur. Totum, inquam, jus *ad gloriam* in ipsâ Justificatione confertur, proinde *ex operibus* oriri non potest, quod ante satis demonstratum.

2° Non reluctabimur, sanctimoniam jus aliquod *in Re* (Gloriæ *possessionem* & proprietatem loquor) conferre *Justificatis*, quia *nemo sine Sanctimoniâ videbit Deum.* Sed hoc

1° Non est collatio *novi* juris, sed antecedanei *completio*; uti cum pupillus hæreditatem *adit*; hoc enim nullo facit jure *novo*, sed ex voluntate tantùm *Testatoris* præcedaneâ, unde constat

2°, Ex eodem omnino *fonte* tum *Justitiam* manare tum *Gloriam.* Itáque si *illa* non *ex operibus*, neque *ista.* Hoc tantùm discrimine, quod *cum operibus Deo gratis Justificatus* aliquando glorificabitur. Vellem si Res postulare videretur, hæc fusiùs enucleare. Sed nollem lectori tædium.

Ex his autem facilè constabit Harmonistæ nostri *fidentia* plus æquo passim adhibita, ubi mirari se ait, 1° Cur ex concessâ operum necessitate *ad Gloriam*, non vident : ea Reformati ad *Justificationem* quoque necessaria. Reformati verò talem operum *necessitatem* adeò non concedunt ut Justificationi peccatoris *ineptissima* esse contendant, utpote opera planè *vitiosa, Fide vacua*, nec Deo proinde grata. Pag 50.

Miratur 2° (nam quis inquit, [contrarium] non videt ?) quòd opera Justificantia ideò respuentes, Ibid.

ſpuentes, quia *merito Chriſti*, verbíſque Paulinis contradicunt, *ad Gloriam neceſſaria* ſtatuerent! cùm contra hanc hypotheſin *æquè militare Illorum* argumenta perſuaſum habeat. Sed in hoc permultùm fallitur. Sciunt (opinione ſuâ meliùs) quid loquuntur, *Reformati*; neque Ipſum aliter ſentire nimis verecundum. Idémne vult operibus malis tribuant, quod bonis & Deo gratis ? Imò non ſunt uſque adeò *Fungi*.

Nam 2°, Chriſti ſalvatoris *merito*, verbiſque Paulinis, nihil à Reformatis detrahitur, cum opera ſtatuunt ad *Gloriam* neceſſaria. Ratio eſt, quia *Sanctimoniam* (quæ in operum Exercitio cernitur) ad Hominis Juſtificati STATUM & Conditionem, non ad JUS aliquod *novum* (ſive Peccatorum *Remiſſionis*, ſive *Gloriæ* conſequendæ) referunt. Jus tantùm *in Re* Illis tribuunt (quod aliud nihil eſt, quàm Juris *ad Rem* ſuo tempore legitima *Applicatio*) neque hoc tamen *primariò* & *per ſe*, ſed in ſolidum ex *imputatâ* per Fidem Juſtitiâ Chriſti: Totum Redemptoris merito, Totum *Gratiæ* transſcribitur: proinde ex operum *ad Salutem neceſſitate*, nil *merito Chriſti*, nil *Gratiæ*, quam tanto Paulus propugnat zelo, derogatur. Secus habet in Operibus Harmoniſtæ *Juſtificantibus*, quæ tum *merito Salvatoris* quàm Ipſi *Gratiæ* ab Apoſtolo ubique *opponuntur*.

Breviter, & quà licet apertiſſimè, negamus Opera (etiam *optima*) humana potiundæ Glo-

riæ

riæ esse Conditiones *propriè dictas*; quoniam *ante* Opera, i. e. in *Ipsâ Justificatione*, Jure isto *ad* salutem æternam fruuntur Fideles. *Possessio* potius ab Operibus datur, quàm *Jus*. Absit verò, ut opera Justificatorum Dispositiones esse *necessarias* inficiemur, quibus utique ad Gloriam ἱκανῶν), Col: 1. 12. Has autem subjecti *dispositiones*, hunc statum, si Pacti conditionibus annumerare malit Author, de voce non altercabimur; cum his semper limitatiunculis, ne 1° ad conditiones Justitiam *antecedentes* referantur, neque 2° Jus ullum *ad Rem* ex istis tribuatur.

Neque Locus iste obstabit ab Ipso citatus, Apoc. 22. 14. *Beati qui præstant ejus præcepta, ut sit eis Jus in Arborem vitæ.* Magni viri interpretatio Illi forsan *coactior*, & nimis *allegorica* videbitur ubi hanc reddit sententiam, *Jus in lignum vitæ dicitur pro Jure, ad vitam adipiscendam per lignum*, i. e. (inquit) *per Crucem*? Et tamen verissimum est omnem operum humanorum sive dignitatem sive mercedem ab Ista Arbore eaque sola pendere. Itaque respondemus, *Grot. in Loc.*

1° Jus totum hoc operum (quicquid sit) non esse *debiti*, sed *Gratiæ*, *gratiosi scilicet promissi*; *Gratiâ estis salvati*, inquit Apostolus; proinde merito Christi adeò non contradicit, ut ei subordinetur, quemadmodum *Effectus* Causæ. Hoc operibus suis *Justificantibus* convenire probet Harmonista. Quod hinc exibit Totum hoc est, *Justificato bene operanti ex mandato Dei, promittitur*

& suo tempore confertur propter Christum *vita æterna.*

2°, Si ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς Jus *ad Rem* designare dicatur potiùs quàm *in Re*, locutio erit planè *metonymica*, ibíque Jus *habere*, nil aliud erit quam Juris istius *Declaratio*, quod in Justificatione Fidelibus concessum. In eandem scilicet fluit sententiam cum 1 Joh. 2, 5. *Qui servat Ipsius Sermonem in eo verè charitas Dei perficitur, hinc scimus nos esse in Ipso. Perficitur, non potest quis validiùs ostendere se amore Dei teneri* &c. Uti Grot. in Loc. Similiter, ut *habeamus Jus*, i. e. Ut & Ipsi *sciamus*, & alii, quod Jus habeamus ad vitam Illam æternam, quâ nondum fruimur. Verum aliundè, nimirum ex 2 Thess. 1.7. Heb. 6. 10. 2 Tim. 4. 8. sic adoritur in hoc Syllogismo,

Si merces vitæ æternæ Operibus nostris ex Justitia detur, tum ex Operibus nostris Jus ad mercedem Illam consequimur.
Sed hoc astruunt Loci citati, Ergo

De Justif. L. 5. c. 3. Eadem quoque urgentur testimonia à Bellarmino pro suo operum *merito*, quod ab Harmonistæ nostri *jure* mihi quidem nihil discrepare videtur. Sed negamus consequentiam, quia longe aliud est Operibus mercedem tribui, (ídque *ex Justitiâ*) aliud tribui *ex Operibus*; Cujus indicium luculentius esse non potest, quam quòd Scriptura quæ millies *mercedem* meminit, tamen

ex

ex Operibus dari ne semel dicere sustinuit. Quàm hoc unum talem absterrere debuit consequentiam !

2° Haud ignorat, credo, quàm multiplici sensu in scripturis reperiatur *vox* Justitiæ, ubi ad Deum refertur ; quámque in hac re diligenter distingui Lectoris intersit, ni malimus Sophistas agere quàm Theologos.

Breviter itaque *mercedem* Justitiæ statuimus duplicem ; alteram *commutativæ*, ut cùm Operario merces redditur *proportionata* operi : *Distributivæ* alteram, qualis illa in *parabolâ* Evangelicâ, quâ tantum horâ ultimâ ad opus venienti datum, quantum iis qui integræ diei laborem & molestiam devoraverant, De *priori* mercede Harmonistam non loqui constat, utpote quam in *gratuito per Christum fœdere fundatam fatetur* ; negamus hinc (uti suprà) consequentiam. Sed quæ citantur loca ad Justificationem solummodò *distributivam* & *remuneratricem* referuntur, quâ bonis *secundùm* operis qualitatem reddit Deus, dum injurias illis illatas ulciscitur, suáque tandem in illis *dona* Coronat. Hinc efficiat, ubi volet, pro *jure* suo *ad Rem* argumentum ; quod (potissimùm ubi ad vitam æternam refertur) solo *Gratiæ* promisso in ipsâ *Justificatione* stabilito nititur. Nam quòd Deus etiam ut *Justus judex* bonis *præmia*, malis supplicia decernit, bonis totum est ex *Gratiâ*, totum per *Fidem*, non per opera distributum.

Unum

Unum insuper minimè prætereundum, p. 48. in quâ quid sibi velit vir doctus, ignorare me fateor. Nam aut valde munificum habemus, aut miserè nugantem. Subjicimus verba, §. 10. *Porrò notandum est, quod cum causa cur plerique ad inane hoc κρησφύγετον recurrant, hæc sit præcipua, quod si aliter faciant, Paulinis Epistolis (ubi sæpiùs à Justificationis negocio opera disertè excluduntur) contradicerent; si quis animum advertat, mox videbit opera de quibus loquitur Paulus, ab eo non tantum à Justificandi actu removeri, sed etiam ut nullo modo necessaria* (dicendum erat, ut prorsus inepta,) *in totum rejici. Clare id liquet ex loco Illo Rom.* 4. 5. *Ei vero qui non operatur, sed Credit &c. Quæ verba*, inquit, *ostendunt Hominem non solum sine operibus, sed qui sine operibus sit, per Fidem Justificari. Nec minùs*, inquit, *dicit Paulus (nisi Ipsius verbis manifestam vim faciamus)* Rom. 3. 28. *Ibi enim phrasi ista χωρὶς ἔργων opera non tantùm à Justificatione, sed etiam ab eâ Fide, quæ Justificat, atque ab Ipso Homine qui Justificatur, sejungi planum est.*

Condonet mihi Lectoris humanitas (etsi ægrè à meipso veniam impetravero) hoc totum describendi tædium: nam indubiè magnam aliquam subtilitatem habet iste paragraphus latenter inclusam. Scrutemur itaque

Quid per hoc suum *inane* κρησφύγετον intelligat, discendum est, ut puto, ab usque Paragr. 2. c. 6. ubi mirè Reformatorum cervicibus *Juvenis* insultat, usque adeo ut se à *Risu vix temperet*, Illorum

lorum (hac ex parte) placita; *doctas nugas*, λεπτολογίας, *inanes distinctiunculas*, *Shibboleth*, σοφὰ φάρμακα, & de quibus dicatur, *parturiunt montes* &c ibidem pronuntier. Quis autem ista legens vir sobrius à *Risu* Justissimâ *Indignatione* aculeato temperet? unde autem hic de Reformatis ingens *triumphus*? Attende, quæso, lector; Reformati scilicet agnoscunt, *Fidem vivam*, *non mortuam*, *Fidem quæ sine Operibus neque est, neque esse potest*, *Justificare*, Ergo quid?

Mille, mille, mille, mille Persas occidimus.

Redibit res, inquit, *ad particulam istam quatenus*, viz: *an Fides quæ est viva, vel quà viva Justificet*, sicque *cardo controversiæ, uti ait*, *in hac Metaphysicâ subtilitate totus vertitur*. Benè habet.

Sed 1° nullúmne putat *Metaphysicarum* harum *subtilitatum* (quas vocat) censor discrimen statuendum inter *Quæ* & *Quatenus*? γελᾷ μηδὲν τινί. *Qui* actu scribit naturaliter habet *pedes*, an ergo *quà* scribit? tum certè scribit *pedibus*. Nullam infert *causalitatem concomitantia* etiam *necessaria*. Idem verò *causalitatis genus tam Operibus quam Fidei in hoc negocio* (cum Aphorismorum Authore) tribuit, p. 43. num. 3. *Quod Alibi ostendimus.*

2° Fidem, *quæ viva est*, *non quà vivam Justificare*, Reformatorum non est, sed unius *Harmonistæ* distinctio Illis obtrusa. Totum quod asserunt Reformati hoc est, Fidem *vivam* &

 Justificam

Justificam non esse sine operibus, *Justificare* tamen sine ullâ Operum *causalitate*, etsi non sine *praesentiâ*, saltem quoad *habitum*. Sunt opera quidem *Actus Fidei vitales*, sed nemo Reformatus dicet, ea Fidei vitam dare; sed aliunde *acceptam ostendere*, sicut ambulatio hominem *vivum* non facit, sed vivum *indicat*. Quid clarius?

Quin 3° quid hinc Harmonistae lucri, quòd (*Ipso multis fatente*) Paulus *Opera à Justificatione in totum rejicit*? An ut secum *admittat* quae rejicit? mirum est toti Harmoniae suae quàm bellè hoc inserviat. Quantum ego capio, *Justificabimur ex Operibus*; *quia non ex operibus*: & haec sanè plus est quàm *Subtilitas metaphysica*. Ab eo nil amplius poscunt Reformati, quàm ut opera, *de quibus Paulus loquitur* (i. e. *universa*) à Justificatione *in totum* rejiciantur. Neque ulla Ipse opera ibidem disertè excipit, sed quater aut quinquies opera *indefinitè* scribit, partim ex manu Pauli, partim suâ. Verum huc tandem, puto, recidere argumentum quod tantâ graditur *pompâ*. Nihil nimirum esse cur sibi metuerent Reformati, ne *opera ulla* ad *Justificationem* admittentes Paulo contradicant, quia Illi aequè contradicitur dum à *Fide* & *homine Justificato* non separant. Sed quàm facilis est solutio! neque Paulus, neque Reformati Opera sejungunt à *Fide* aut ab homine *Justificato* respectu *praesentiae*, (utpote quae Fidei *radicaliter*

ter inſunt) ſed tantùm quoad *Actum Juſtificandi.* In hoc Reformatis cum magno Apoſtolo convenit, utinam & Harmoniæ Authori.

Faceſſant itaque tum leves *Argutiolæ*, tum inanes (etſi prætumidæ) *jactatiunculæ*, quæ ad fallendos *Rudes*, *Sciolos*, & *Incautos* comparari ſolent, & amemus (ſi ſapimus) PACEM & VERITATEM.

DISS.